IOACHIMI CAMERARII

NARRATIO

DE

HELIO EOBANO HESSO.

RECOGNOVIT,

IO. THEOPH. KREYSSIG.



W. Kirchner lith. — Steindr. v. C. E. Klinkicht & Sohn in Meissen.

HELIUS EOBANUS HESSUS

natus d. 6. Jan. 1488. mortuus d. 5. Oct. 1541.

IOACHIMI CAMERARII
NARRATIO
DE
HELIO EOBANO HESSO.

ACCESSERUNT

CHRIST. THEOPH. KUINOELII

ORATIO

DE HELII EOBANI HESSI IN BONAS LITERAS MERITIS

ET

HELII EOBANI HESSI

CARMINA

DE PUGNA STUDENTUM ERPHORDIENSIUM CUM QUIBUSDAM CONIURATIS NEBULONIBUS ET IN BONARUM ARTIUM DETRACTOREM

ITERUM EDITA.

RECOGNOVIT

ET

ADNOTATIONIBUS GRAMMATICIS SUBIECTIS

INTER SACRA SCHOLAE REGIAE AFRANAE SAECULARIA

EX A. D. VI. USQUE AD IV. NONAS QUINTILES CIƆIƆCCCXLIII.

SOLLEMNI RITU

TERTIUM INSTAURATA

PROPOSUIT

Dr. *IO. THEOPH. KREYSSIG*,

ILLUSTRIS AFRANEI PROF. II.

CUM IMAGINE EOBANI IN LAPIDE DELINEATA.

MISENAE,

SUMTIBUS ET TYPIS C. E. KLINKICHTII ET FIL.

CIƆIƆCCCXLIII.

Periclitari possunt bonae literae, perire omnino et intermori non possunt.

Helius Eobanus Hessus.

FRIDERICO KRITZIO,

PROFESSORI ERFURTENSI,

AMICO DILECTISSIMO,

S. P. D.

IO. THEOPH. KREYSSIG.

Quae mihi tecum intercedit vetus amicitia, primum communi Sallustii et Velleii Paterculi amore contracta, deinde in Gothano philologorum Germanorum conventu, ubi te coram praesens, ut more Plautino loquar, praesentem vidi, magis etiam confirmata, ut te potissimum inter saecularia, quae nunc quum maxime tertium apparantur, scholae Afranae sollemnia per literas appellarem, non tam suadere, quam postulare videbatur. Huic tamen studiorum et laborum similitudini, qua nihil ad amicitiam et iungendam et conservandam efficacius esse potest, altera quoque accessit causa, quae me, quin libellum ad recolendam Helii Eobani Hessi, doctrinae ubertate pariter ac poetica virtute celeberrimi, memoriam a me compositum tibi mitterem tuoque potissimum iudicio subiicerem, non dubitare pateretur. Quemadmodum enim Eobanus, quum Erfurtum in studia missus luculentissima doctrinae atque eruditionis documenta dedisset, academiae Erfurtensis decus et ornamentum exstitit, ita tu quoque in eadem urbe, quam in itinere illo Gothano comite Kranero, collega coniunctissimo, permeare et transire mihi contigit, bonas literas tam prospero successu et tanta cum laude profiteris, ut Eobanus tua doctrina et virtute Erfurtensibus nostra aetate redditus esse videatur. Redeant igitur Erfurtum, ubi locus te identidem Eobani admonet, quae inde profecta Camerarius et alii, quorum scripta hic libellus continet, de viro illo immortali, qui studia humanitatis ac literarum, sacris a Luthero in pristinum nitorem repurgatis, per Germaniam universam pro virili parte excitavit et restituit, ita memoriae prodiderunt, ut non vanam esse appareat praeclaram

illam Eobani ipsius vocem in aversa tituli parte positam: *Periclitari possunt bonae literae, perire omnino et intermori non possunt* 1).

Iam vero quod ad huius opusculi consilium attinet, non is quidem ego sum, qui veterum libros, ex quibus solis accuratam et perfectam linguae Latinae scientiam petendam esse ultro mihi concedes, puerorum atque adolescentulorum manibus subtrahendos et libellos eorum, qui nostra vel patrum nostrorum memoria Latine scripserunt, in illorum locum substituendos esse existimem. Nihilo tamen secius hos quoque lectitare iuvabit tum iuvenes literarum Latinarum studiosos, tum etiam viros ab iisdem studiis non alienos, ut, quantum recentiores laudabili scriptorum antiquorum, qui classici vocantur, aemulatione profecerint, intelligant et, quum in optimis quoque huiusmodi libris bona malis mixta sint, inde sibi suaeque orationi, quod imitentur, capiant; inde barbarum et soloecum dictu, quod vitent. Praeterea vero, quum Eobanus poeticae quoque virtutis laude maxime floruerit et Camerarium aliosque aequales longissime superaverit, non dissimulo, me, quamvis Latina poesis aequalium nostrorum sive negligentia et ignoratione, sive malevolentia et obtrectatione in contemtum adducta sit, eorum sententiae esse, qui non solum assiduam poetarum Latinorum lectionem, sed etiam diligens poesis Latinae studium cum crebra poeticae facultatis exercitatione coniunctum ad accuratam sermonis Latini cognitionem pariter atque elegantem orationis conformationem plurimum valere arbitrantur 2). Neque me poenitet consilii abhinc undecim annis initi, in quo exsequendo ad spem eventus ita respondit, ut ex divenditis *Silvularum Afranarum* exemplis iam trecentorum amplius imperialium summa sit refecta, cuius usurae inter anniversaria Afranei sollemnia binis disciplinae nostrae alumnis,

1) In epistola ad Ioannem Groningum, quae Epp. ad Camerarium aliosque Lib. I. fol. Q. 3. b. sq. legitur, Eobanus haec scripsit: *Saepe tibi dixi et credo meminisse te, periclitari posse bonas literas, perire omnino et intermori non posse. Iaceant quantumvis graviter, facillime resurgent, ubi desaevierit parumper haec maligna Nemesis, quae nullis magis est quam bonis iniqua, in nullos quam in malos pacatior placatiorque.* Quae quo minus ad nostram quoque aetatem referantur, non intercedo.

2) Eadem professus latiusque persecutus sum in praefatione *Silvulis Afranis* anno 1832. editis praemissa p. 6. sqq.

quibus ex magna plerumque aemulantium frequentia meo et ceterorum magistrorum arbitrio carminis Latini palma est delata, praemiorum loco persolvi solent.

Quam ob rem non miraberis, amicissime Kritzi, me non solum libellos prosa oratione conscriptos, sed etiam, ut adolescentes nobis in disciplinam traditos aliosque eorum non dissimiles ad artis poeticae studium, a quo Afranos nunquam abhorruisse nosti, denuo incitarem, carmina ab Eobano aliisque composita hoc opusculo comprehendisse.

Ac primum quidem egregiam et, quae iterum iterumque legatur, dignissimam *Ioachimi Camerarii Narrationem de Helio Eobano Hesso*, primum anno CIↃIↃLIII. editam [3]), deinde ab Ioanne Benedicto Carpzovio, theologo Lipsiensi, non ea, quae in philologo iure meritoque requiritur, diligentia [4]) anno CIↃIↃCXCVI. repetitam, ad editionis principis fidem typis exscribendam curavi. In qua suscepti laboris parte conficienda ita versatus sum, ut in nominum propriorum, quae a viris doctis illius aetatis sive Graece sive Latine reddita, vel saltem, id quod veteres quoque scriptores, veluti Livium in barbaris regulorum Gallicorum nominibus *Leonorius* et *Lutarius* [5]), fecisse novimus, ita inflexa esse constat, ut colorem quendam Romanum traherent, aliorumque vocabulorum scriptura, quam

3) Hoc titulo praescripto: *Narratio de Helio Eobano Hesso, comprehendens mentionem de compluribus illius aetatis doctis et eruditis viris, composita a Ioachimo Camerario, Pabebergensi. Norimbergae*, 1553. Eam Carpzovius, suppresso nomine, cum Camerarii *Narratione de vita Philippi Melanchthonis*, quam Ge. Theod. Strobelius Halae Saxonum a. 1777. et Io. Christ. Guil. Augusti Vratislaviae a. 1819. denuo ediderunt, eiusdemque *Narratione de Georgio, principe Anhaltino*, Lipsiae a. 1696. repetendam curavit, et paene ad verbum exscripsit Melch. Adamus in *Vitis Germanorum philosophorum, Francofurti ad Moenum*, 1706. p. 49. sqq.

4) Vid. Camerarii Narrat. cap. 1. not. 4. cap. 3. not. 23. cap. 4. not. 27. 32. et 33. cap. 6. not. 50. et 52. cap. 9. not. 81. cap. 10. not. 89. et 93. cap. 11. not. 96. et 97. cap. 12. not. 108. cap. 15. not. 132. cap. 17. not. 149. et 168. cap. 18. not. 176. cap. 20. not. 190. 192. et 194. cap. 21. not. 210. cap. 27. not. 264. et cap. 32. not. 307. Praeterea in Additamentis quoque, ut nihil dicam de sermone Carpzovii barbaro ac lutulento, alia deprehendi negligentiae indicia et vestigia, suis quaeque locis merito notata.

5) Vid. Liv. XXXVIII, 16. ad quem locum Fr. Gronovius haec adnotavit: „Utrumque nomen est Germanis etiam nunc in usu, *Leonhartus* et *Lotarius*, vel *Luderus*.“ Hoc tamen ab illo diversum esse videtur.

Carpzovius temere mutavit, Camerarii vestigiis plerumque ingrederer, et non nisi corrupta ac depravata tacite emendarem, perversasque verborum interpunctiones corrigerem. Praeterea, ut oculi quoque lectorum haberent, quo delectarentur, Eobani imaginem, ab Alberto Durero pictam et deinde aeri incisam, ex Iacobi Bruckeri *Ehrentempel der deutschen Gelehrsamkeit, Augsburg*, 1747. p. 132. No. 32. ab artifice peritissimo in lapide delineari iussimus.

Deinde luculentam *Christiani Theophili Kuinoelii Orationem de Helii Eobani Hessi in bonas literas meritis* anno CIↃIↃCCCI. editam [6]), cuius exemplum ipse auctor, quum Giessam ad rhetoricam et poeticam publice docendam esset evocatus, mecum communicavit, Camerarii Narrationi, quam Kuinoelius fere ubique sequitur, addendam esse existimavi. Hoc enim praeter ipsius orationis praestantiam postulare videbatur pietas in Kuinoelium eiusque patrem, ortu Chemnicensem, qui me aliosque populares, quum Lipsiae versaremur, tot tantisque beneficiis cumulavit, ut gratissimam temporis illius memoriam nulla unquam oblivio sit obscuratura.

Tum lepidissimum *Helii Eobani Hessi Carmen de pugna studentum Erphordiensium cum quibusdam coniuratis nebulonibus*, ab Eobano undevicesimum aetatis annum agente [7]) in commilitonum gratiam compositum, neque tamen eius *Operum farraginibus duabus* Halae Suevorum anno CIↃIↃXXXIX. atque Francofurti ad Moenum anno CIↃIↃXLIX. et CIↃIↃLXIV. [8]) editis inclusum, quod ex tenebris in lucem protraheretur, dignum esse videbatur. Ante plures enim annos casu accidit, ut ex auctione Dresdae facta in manus meas perveniret antiquissima Orosii editio, Parisiis anno CIↃIↃX. ab Iacobo Barbierio expressa, cui a bibliopego, quem vocant, agglutinatum est hoc ipsum

6) Hoc titulo praemisso: *De Helii Eobani Hessi in bonas literas meritis Oratio Giessae in auditorio maiori d.* XXV. *Sept.* CIↃIↃCCCI. *habita a Christ. Theoph. Kuinoel. Giessae*, 1801.

7) Eobanus enim ineunte a. 1488. natus a. 1504. sive septimo decimo aetatis anno in academiam Erfurtensem se contulit; ita ut a. 1506. nondum annos undeviginti haberet. Vid. Camerarii Narrat. cap. 7. Lossii *Helius Eoban Hesse und seine Zeitgenossen*, *Gotha*, 1797. p. 10. et Encyclopaediae ab Erschio et Grubero editae Sect. II. Part. VII. p. 207.

8) Hanc Operum Eobani editionem, quum Halensis illi praeferenda non ad manum esset, in afferendis carminum Eobanicorum locis ubique secutus sum.

carmen cum altero: *In bonarum artium detractorem invectivum*, in quattuor chartis, quas vulgo folia appellant, typis ita exscriptum, ut prima et octava pagina exhibeat imagines ligno incisas, quarum altera pugnam a literarum studiosis Erfurtensibus cum opificum vulgo et sellulariis commissam [9]), altera sannionis nescio cuius simulacrum repraesentat, cui manus satis antiqua haec superscripsit: *Klaus Narre Ducum Saxonię Delicię* [10]). Utramque imaginem in lapide ita delineatam, ut omnia diligentissime exscriberentur, sed informis et monstrosa Palladis figura ab artifice, me quidem frustra refragante, in venustiorem et dea digniorem mutaretur, nostro quoque libello inserere placuit. De tempore autem si quaeris, quo Eobanus haec carmina scripserit, non audiendus esse videtur Lossius [11]),

9) Huic imagini praefixus est titulus: *De pugna studentum Erphordiensium cum quibusdam coniuratis nebulonibus Eobani Hessi Francobergii Carmen.*

10) In Caroli Friderici Floegelii *Geschichte der Hofnarren, Liegnitz und Leipzig*, 1789. p. 283. de Clausio sannione haec leguntur: *Er ist nach und nach bei vier Churfürsten und einem Bischof Hofnarr gewesen; nämlich erstlich bei dem Churfürst Ernst, der* 1486. *starb; zweitens beim Churfürst Albrecht, der* 1500. *starb. Drittens kam er zum Erzbischof Ernst von Magdeburg, der* 1513. *starb; und erst viertens zu Friedrich dem Weisen, welcher* 1525. *starb, und endlich lebte er noch am Hofe des Churfürsten Johann des Bekenners, der* 1532. *starb.*

11) Hic in libro: *Helius Eoban Hesse und seine Zeitgenossen*, p. 76. sqq. de academia Erfurtensi haec scripsit: *So fühlte diese Universität zur selbigen Zeit noch immer die Wunde, die ihr vor einigen Jahren durch einen entstandenen Tumult war geschlagen worden; als bei Gelegenheit des Kirchweyhfestes zu S. Michael im Jahre* 1510 *die Studenten mit den Bürgern und Soldaten der Stadt in einen so heftigen Streit geriethen, der von den nachtheiligsten Folgen für die erstern hätte werden können. Der Rath hatte damals, wegen der öftern Unruhen mit benachbarten Edelleuten und Feinden der Stadt, ordentliche, stehende Soldaten (Landsknechte) in die Dörfer und Schlösser gelegt und hielt auch eine Anzahl derselben, der öffentlichen Sicherheit wegen, in der Stadt. Einige derselben geriethen bei Gelegenheit jener Feierlichkeit, welche von den Studenten nach damaliger Sitte wild genug begangen wurde, mit diesen zuerst in Wortwechsel, der bald darauf in Schlägerei übergieng; die anfängliche Ueberlegenheit der Studenten und ihr erfochtner Sieg über diese Schaarwache, welche sie vom grossen Kollegio bis zur Strasse hervordrängten, machte sie kühn; reizte aber auch den Unwillen der Bürgerschaft und besonders der Handwerker, dass diese die Parthei der Soldaten ergriffen und die Studenten wieder in ihr Kollegium mit gewaffneter Hand zurückdrückten; hier würden auch diese bei verschlossnen Thüren sicher geblieben seyn, wenn sie nicht die Unvorsichtigkeit begangen und aus den Fenstern mit Steinen gewor-*

qui longius illud carmen *de pugna studentum Erphordiensium* cuius exemplar in bibliotheca Gothana, curae custodiaeque Fr derici Iacobsii, senis gravissimi ac suavissimi, commissa, a servari auctor est, ad tumultum anno CIƆIƆX. inter sollemni in aedis D. Michaelis dedicatae memoriam celebrata motui pertinere arbitratus est, Rommelio temere adstipulante et E hardo Striederum erroris falso insimulante [12]). Namque m dia aestate, et die quidem Solis sive dominica, quam vocan tumultum illum esse concitatum, et diem insequentem itide fuisse diem festum, ex ipso carmine intelligitur [13]); haec omni

fen, sogar mit Pistolen auf die herandringenden Bürger geschossen und einig verwundet hätten; dies setzte vollends die Bürger in Wuth; man rüstete si förmlich zur Bestürmung des Kollegiums; holte mit Gewalt zwei grosse Ka nonen vom Rathshofe, pflanzte sie gegen das Gebäude und fieng an, es zu be schiessen. Da die Sache so ernstlich wurde, und die Studenten wohl sahe dass sie der Uebermacht weichen müssten, ergriffen sie die Flucht, rettete sich zum Theil durch die hinten vorbeifliessende Gera, oder wurden zum The von den Bürgern gefangen genommen. Nun drangen die Bürger in das auf gesprengte Kollegium wüthend ein, zerhieben und zerschlugen alle Kathede Bänke und Schränke, ruinirten die Bibliothek, zerrissen und zernichteten d Manuscripte, Documente und Urkunden und nahmen, was sie in den Wohnun gen der Studenten fanden, als Beute mit *). Quae deinceps evenerunt, h non pertinent.

12) Rommelius enim Encyclopaediae ab Erschio et Grubero editae Sect. I Part. VII. p. 207. not. 10. haec adnotavit: *Lossius in seiner trefflichen Schrif Helius Eoban Hesse und seine Zeitgenossen,* (*Gotha* 1797.) *setzt diesen Tu mult S.* 76 *u. s. w. mit Recht in das Jahr* 1510, *und vermuthet, dass Eob derselbe Magister war, dem ein Bürger die silbernen Knöpfe vom Wamms ab schnitt. Denn das* datum *des Eobanischen Gedichts* de pugna studentum (*wo von ein Exemplar auf der Bibliothek zu Gotha seyn soll*), *so wie eines gleich zeitigen* de recessu studentum ex Erfordia tempore pestilentiae (*welches Los sius nicht anführt*) *gibt zwar Strieder* (*Hessische Gelehrtengeschichte B.* II *S.* 392.) 1506 *an; „aber diess ist falsch.“* Ultima Erhardus adiecit. Q iure, res ipsa loquitur.

13) Vs. 1. 2. *Fervidus ardentes fecit iam Procyon aestus*
Et gravis ignivomo splenduit axe Canis.

*) *Eoban verfertigte auf diesen unrühmlichen Streit, von dem er selb Augenzeuge — wo nicht gar der Magister selbst gewesen war,* (?) *dem e Bürger die silbernen Knöpfe vom Wamms geschnitten hatte, der deswegen zu Stadt hinaus gestäupt wurde, wie die Hogelische Chronik meldet — ein He dengedicht,* (?) *welches ohne Benennung des Orts und Jahres* (?) *unter dem T tel herauskam:* De pugna studentum Erphordiensium cum quibusdam co iuratis nebulonibus Eobani Hessi Francobergii Carmen. *Ein merkwürdig Exemplar dieses seltnen Gedichts, vermuthlich dasselbe, welches der Dicht seinem Freunde Spalatin überschickte,* (?) *ist in der Herzoglichen Gothaischen B bliothek befindlich.* Et tamen Lossius Gothanus illud non diligentius inspexi

autem in annum CIƆIƆVI. incidisse, non significat solum, sed etiam declarat subscriptio, a Lossio et Erhardo temere neglecta, quae breviori carmini subiecta est hunc in modum: *Expressum in alma Universitate Erphordiensi typis Wolfii Sturmer Anno M. D. VI.* Ceterum his carminibus, quae Eobanus oppido adolescens non ea, qua postea inclaruit, arte ac diligentia composuit, omnem scripturae diversitatem ex archetypo accuratissime excerptam in adnotationibus grammaticis, de quibus deinceps dicam, subieci simulque de mendis et vitiis, quibus illa laborant, paullo copiosius exposui.

Denique *Additamenta* Camerarii Narrationi de Eobano haud inutili labore a Carpzovio adiecta, quae partim *Iacobi Micylli Epicedion Helii Eobani Hessi poetae* et Eobani ipsius aliorumque carmina et epistolas continent, partim de rebus ad historiam literariam pertinentibus breviter exponunt, in nostro quoque opusculo non desiderari passus sum; ita tamen, ut ea secundum paginarum, ad quas referuntur, ordinem aptius digererem simulque alia, quae a consilio nostro non aliena viderentur, numeris *III. VI. XVIII.* et *XX.* insignita iis interponerem. Accesserunt enim primum *Eobani Carmen ad Posteritatem*, de poeticis eius studiis dilucide exponens, in quo emendando peropportune me adiutum esse profiteor Operum Eobani editione Francofurti ad Moenum anno CIƆIƆXLIX. expressa, in cuius exemplo, quod in bibliotheca Regia Dresdensi asservatur, manus perquam antiqua operarum menda non facile investiganda recte sustulit, mihique harum emendationum gloriolam praeripuit; deinde *Carmina Bernardi Monetae in Eobanum paullo vinosiorem* et *Eobani de Ebrietate*, admodum ridicula et iocosa, quorum illud utrum rem veram an fictam enarret, in medio relinquemus; tum eiusdem *Eobani Carmina in Montem Annae* et *Vallem Ioachimicam*, a Camerario Narrat. cap. 10. commemoratam, quorum hoc pariter atque illud, cui scripturae diversitatem, quum ab ipso Eobano esset retractatum, ex *Michaelis Barthii Annaeberga*, Basileae anno CIƆIƆLVI. edita, enotatam adieci, nostro libello includere eo mi-

Vs. 7. 8. *Iam rude festivos vulgus celebrabat honores,*
Sacra Panomphaeo lux erat illa deo.
Vs. 77. 78. *Sol redit Oceano, festa sollemnia luce*
Chratifero redeunt concelebranda patri.

nus dubitavi, quo maior est et erit pietas nostra in urbem Annaemontanam vicinasque regiones, ubi olim, priusquam Musae ab Ioanne Rivio, quem scholae Afranae inspectorem et tempore et eruditione principem cum Georgio Fabricio Chemnicensi, celeberrimo eius discipulo de rebus Afranis longe meritissimo, publica mox religione deveneralimur, aliisque illuc deductae ac collocatae temporum nostrorum iniuria inde pellerentur, integrum decennium feliciter exegi; denique *Theodori Bezae Carmen in Eobani memoriam*, quod in Operum Eobani editione Francofurtensi, cuius paullo ante feci mentionem, ab alia quidem, sed non minus antiqua manu titulo praemissum descripsi et cum eius exemplo, quod inter edita Bezae carmina reperitur, et miro sane modo ab illo discrepat, componendum existimavi.

Restat, ut, quum de rebus ad vitam virorum doctorum a Camerario aliisque commemoratorum pertinentibus, ne hoc opusculum magnitudine sua laboraret, sive brevius sive copiosius exponere nollem [14]), de adnotationibns grammaticis, quas aliorum scriptis in imo libelli margine subieci, paucis tecum, amicissime Kritzi, agam et, quod consilium hac in re secutus sim, breviter expediam, ut incorruptum atque integrum de conatibus nostris facere possis iudicium, cui alii quoque, nisi difficiles ac morosi censores fuerint, lubentissime accedent. Quod ut mihi contingat, ante omnia ingenue confiteor, me abhorrere a mala eorum consuetudine, qui in aliorum sermone diiudicando ita versantur, ut, quid linguae Latinae integritati vel conveniat, vel repugnet, stolida sane doctrinae fiducia magnoque hiatu arrogantius pronuntient, et alios omnes, licet ipsi truncis asperitate ac rusticitate pares ab indoctioribus scilicet, id quod iis saepe usu venit, erroris convincantur, truncos esse atque stipites arbitrentur. Nam mihi persuasissimum est, ne doctissimos quidem et in scriptorum Latinorum lectione versatissimos nostrae aetatis viros, nedum iuvenes barbatulos et a schola recentes, tam perfectam et omnibus numeris absolutam sermonis Latini scientiam sibi comparasse, ut acri et sub-

14) De Eobani amicis, quos Camerarius commemoravit, praeter Lossii librum aliquoties citatum, praecipue conferas velim Encyclopaediae ab Erschio et Grubero editae Sect. II. Part. VII. p. 206—214. ubi plerorumque nomina afferuntur, mores et studia describuntur.

tili iudicio atque singulari vi memoriae adiuti, quid in veterum scriptorum libris uspiam reperiatur, vel in iis ubique frustra quaeratur, statim expiscentur in promtuque habeant. Quemadmodum igitur, ut aperte dicam, hac ipsa de causa summam in his rebus sobrie diiudicandis cautionem et modestiam adhibendam esse apparet, ita praesertim in Camerarii pariter atque Eobani et aequalium scriptis sive iudicandis sive emendandis utramque maxime necessariam esse, facile intelligitur. Hos enim viros laude nostra maiores, qui saeculo sexto decimo de renatis artium liberalium studiis optime mererentur, in literis Latinis ita habitasse constat, ut, quum linguam Latinam non ex crassis lexicographorum voluminibus doctisque grammaticorum libellis, sed ex ipsis veterum scriptorum libris commentariorum mole nondum obrutis didicissent, etiam de rebus ad vitam quotidianam pertinentibus Latine scriberent et loquerentur, atque hanc ipsam ob causam non solum grammaticorum praecepta nondum in artis formulam redacta interdum negligerent, sed etiam, id quod vel index rerum et verborum huic opusculo in lectorum, si qui futuri sunt, gratiam adiectus docebit, rariora et recentiora vocabula usurparent, adeoque nova confingerent, quae sermonis Latini analogiae convenire viderentur. Quae quidem uti viris illis, quorum aetas in saeculi sexti decimi barbariem incidit, et concedenda et condonanda esse, nemo facile negabit, sic nobis silentio non praetermittenda erant in grammaticis adnotationibus, quippe quas non tam viris Latine doctis, quam adolescentulis literarum Latinarum studiosis ita scripserimus, ut de iis fere eadem, quae Eobanus alicubi 15) de libello a se edendo professus est, possimus usurpare: *Pueris valde puerilia scripsimus, fructum et*

15) Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. I. 5. a. sq. quam epistolam, quum nitida sit et comta, eademque brevissima, hic subiungere placuit: *Oro te, mi Ioachime, si tibi videtur fieri posse, scribe vel unum τετράστιχον in libellum, quem hisce diebus editurus sum de ratione conscribendorum carminum, in quam tu voles sententiam. Nihil autem est, quod nos laudes a magnifico materiae apparatu. P u e r i s v a l d e p u e r i l i a s c r i p s i m u s, f r u c t u m e t u t i l i t a t e m m a g i s e o r u m, q u i b u s s c r i p s i m u s, q u a m n o s t r a m a l i q u a m l a u d e m, q u i s c r i p s i m u s, a u c u p a n t e s. Item, si potes, hoc vesperi rogo ad nos tu, ut rationem absentiae tuae tuo Regi, cui debes, reddas. Nam aiunt in Pegaso quodam evolasse ac revolasse te. Ostendam tibi minoris Brascicani ad me literas hodie mihi redditas. Vale.*

utilitatem magis eorum, quibus scripsimus, quam nostram aliquam laudem, qui scripsimus, aucupantes. Neque tamen omnia, quae vel reprehendenda, vel saltem adnotanda essent, veluti Camerarium in praeteritis verborum passivorum ac deponentium nusquam *est* et *sunt*, sed ubique *fuit* et *fuerunt*, atque Kuinoelium plerumque *ipsius* pro *eius* minus recte posuisse, et quae sunt huius generis alia, in medium protuli, sed eiusmodi emendationum spicilegium aliis me doctioribus et diligentioribus relinquendum esse putavi. Eorum autem, quae vel iniuria reprobavi, vel perperam praecepi, quum tantum absit, ut nimio mei amore occaecatus omni errore me carere existimem, ut ab iis, qui humanitatis studiis dediti humanitatem ipsam non exuerunt, meliora et certiora edoceri cupiam, veniam a te, amicissime Kritzi, aliisque tui similibus petitam atque impetratam velim. Tu vero, ut instituisti, me diligas rogo, proprieque tuum esse, tibi persuadeas. Vale.

Scripsi Misenae, a. d. XVII. Calendas Maias A. CIↃIↃCCCXLIII.

IOACHIMI CAMERARII

NARRATIO

DE

HELIO EOBANO HESSO.

DE

HELIO EOBANO HESSO

NARRATIO

IOACHIMI CAMERARII,

PABEBERGENSIS [1]),

AD

CLARISSIMUM VIRUM

ADAMUM CRATONEM,

FULDENSEM,

AMICUM SUMMUM.

Recordanti mihi, Adame, studia iuventutis nostrae, quae nos singulari usu coniunctos tenuerunt, multae suaves cogitationes excitantur animo meo [2]), in quibus tristissimis rebus et durissimis his temporibus interdum soleo acquiescere. Ut autem qui in febre [3]) frigidam biberunt, se non nihil in praesentia sublevari sentiunt, mox vero gravius affliguntur, ita mihi quoque [4]) saepe numero usu venit [5]), ut iucunditatem illam maiores molestiae excipiant; non modo cum hanc aetatem et superiorem nostram confero, et aegre fero, tantam contentionem tam celeriter repressam, et ardorem istum exstinctum esse, sed cum, ut necesse est, de iis, quae ante oculos interque manus sunt, ut poeta ait [6]), coniecturam facio,

1) Carpzovius *Pabepergensis*, quod Camerarius quoque, qui parum in his sibimet ipsi constans etiam cap. 7. *Francopergensi* et *Risebergensis* scripsit, alibi pro *Bambergensis* posuit. — 2) Addita praepositione Cic. de Orat. I, 46. *motum in animis hominum excitare*, omissa Virg. Aen. I, 582. *quae nunc animo sententia surgit?* Sic Camerarius etiam cap. 7. *animo suo composuerit*, cap. 8. *consideravit animo suo*, et cap. 9. *indignatus fui animo meo* scripsit. — 3) Frequentius est *febri*: neque tamen *febre* omnino reprobandum. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. Part. I. p. 228. — 4) Sic Camerarius. Carpzovius temere edidit *ita quoque mihi*, quod nullo pacto ferendum esse, inter grammaticos constat. Cf. Krebsii Antibarb. p. 411. nostrasque Adnotatt. ad Liv. XXXIII, 34. p. 84. sq. — 5) Recte Camerarius scripsit *usu venit* pro *usu evenit*, quod Latinos scriptores nusquam usurpasse docuit Orellius ad Cic. Tusc. I, 30. *quod iis saepe usu venit.* — 6) Virg.

quae deinceps consecutura esse videantur. Atque sunt priora illa quidem eiusmodi, ut morsus habeant sane acerbos, hoc vero posterius [7]) non solum maximos dolores, sed ingentem etiam metum commovet: de quo quidem neque possum in acerrima aegritudine, neque in tanta hominum improbitate plura scribere debeo. De altero si tecum disputem [8]), et offensione ad plerosque hoc cariturum esse spero, et ita aberraverit aliquantulum mens a curis et anxietatibus [9]), quibuscum conflictatur, quoties vel in praesentis miseriae quasi tempestatem intuetur, vel futurae calamitatis naufragia prospicit. Quae quidem sola via est declinandi impetum perturbationis: cui si veluti directa fronte, et, ut Graeci aiunt, *ἀντιπρόςωπος* occurrere velis, celeriter perculsus et eversus prosternaris. Iam de studiis nostris disserere, ut nobis dulce, ita ad alios neutiquam invidiosum esse potest. Quis enim illa vel colit, vel admiratur, vel iam omnino respicit atque curat? Nugae hae esse ducuntur, et in vita communi *ἀθύρματα* tanquam lusuum puerilium. Habent enim iam homines, quod expetiverunt, summam statuendi et agendi licentiam. Nihil tam absurdum est, quin animus concipere et lingua proferre, nihil tam audax, quin aggredi cupiditas et manus conari ausint. Non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valet; non iudicium, non existimatio civium, non posteritatis verecundia, ut ait Cicero [10]). Aperuerunt autem studia nostra iter eruditae et liberalis vitae, errorum quasi vepribus excisis, et bonis artibus atque literis consuetudine humana perculta. In hos tanquam amoenissimos hortos temeritas et petulantia vastatrix [11]) subito irruit, et sunt Musarum, secundum poetam [12]), floribus austri sane procellosi, et liquidis immissi fontibus apri. Sed nescio quo pacto, etiam dum fugit tristia animus, nihilo minus ad horum conspectum refertur. Sit igitur hic istorum finis.

Aen. XI, 311. *Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.* — 7) Vocabula *priora* et *posterius*, quum Latinae consuetudini repugnent, Camerarius rectius omisisset. Vid. Krebsii Antibarb. p. 384. coll. Popponis libello *de Latinitate falso aut merito suspectâ, sive adnotata ad Krebsii Antibarbarum, Francof. ad Viadr.* 1841. p. 14. Propterea etiam Horat. Sat. II, 7, 19. *prior ille* non ferendum. — 8) Raschigius in libello, quem *de Antibarbaro ab Io. Ph. Krebsio edito* Cygneae a. 1837. emisit, p. 25. negavit, recte dici *de aliqua re disserere* sive *disputare*, quorum illud quoque in hac ipsa Camerarii narratione paullo post et cap. 17. reperitur. Quo iure, ipse viderit. Cicero enim Lael. cap. 4. *de amicitia disputare*, et cap. 10. *de amicitia disserere* dixit, ut mittam alios locos a Schuetzio in Lex. Cic. Tom. II. Part. II. p. 132. et 134. sq. prolatos. — 9) Vocabulum *anxietas* nemo scriptorum veterum numero plurali posuisse videtur. Cf. Reisigii Gramm. Lat. p. 131. sqq. et quae Haasius ibidem adnotavit. — 10) Epp. ad Brutum, quae vulgo Ciceroni tribuuntur, I, 10. — 11) Rarius vocabulum, quo usus est Seneca Epist. 95. ubi luxuria *terrarum marisque vastatrix* dicitur. — 12) Virg. Eclog. II, 58. sq. *floribus austrum perditus, et liquidis immisi fontibus apros.* —

II. Ac[13]) aspiciamus iam ad illa, in quibus et laetitiae aliquid et quietis me reperire dixi: id quod et te facere mihi persuadeo, ut libenter memineris tam assiduitatis atque diligentiae discipulorum, quam magistrorum attentionis atque sedulitatis, quam nos sumus experti, et cuius participes quoque fuimus, vel potius, quo tempore ac loco nos etiam aliquam laudemque decusque gessimus[14]). Sunt enim anni ferme triginta quattuor[15]), cum ego me Erphordiam contuli, ibique te florentem aetate et ingenio et fama eruditionis atque doctrinae reperi; quasique natura alter alteri conciliaretur, ita factum tum est, ut celeriter inter ignotos prius incredibilis animorum benevolentia exsisteret, nosque in studiorum similitudine amicitia coniungeremur, et ex usu mutuae familiaritatis uterque aliquid fructus perciperet. Colebamus eas literas, sine quibus persuasum nobis erat nullam doctrinam sapientiae professionem suam tueri posse, et auctores Graecae et Latinae linguae[16]) legere studebamus. In qua parte ego, quanquam admodum adolescens, tamen ferebar in oculis, quia audiveram Ricardum[17]) Crocum Britannum, qui primus putabatur ita docuisse Graecam linguam in Germania, ut plane perdisci illam posse, et quid momenti ad omnem doctrinae eruditionem[18]) atque cultum huius cognitio allatura esse videretur, nostri homines sese intelligere arbitrarentur. Nos quidem certe ita statuebamus, hanc esse viam virtutis atque sapientiae, et iter directum cum pietatis et religionis, tum humanitatis et laudis in hac vita et in terris. Verene an falso, non exquiram in praesentia; nos scilicet ita censebamus: neque spem, quae concipiebatur de his rationibus, quantivis tum

13) „*Ac* nunquam ponitur ante vocalem," ait Ruhnkenius ad Vellei. Pat. II, 105, 2. et ad Mureti Opp. Tom. I. p. 9. Et recte quidem. Vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 454. sqq. nostramque Epist. ad Orell. p. 53. Haec tamen olim viri literis Latinis doctissimi non curabant. Propterea Camerarius etiam cap. 6. *ac arbitrari*, cap. 9. *Ac est ille quidem*, et *ac incredibile*, cap. 17. *ac exagitandi*, cap. 29. *ac incidit*, et cap. 31. *ac acido olere*, atque Stigelius in Addit. I. *purum ac elegans* perperam scripserunt. — 14) Camerario hic et cap. 25. obversabatur illud Virgilianum Aen. II, 89. sq. *et nos aliquod nomenque decusque gessimus*, quod Eobanus quoque Epp. familiarium Lib. V. p. 110. ed. Marburg. et Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. L. 6. b. usurpavit. — 15) Camerarius *XXXIIII*, Carpzovius *triginta quatuor*, cui *quattuor* substitui. Vid. nostras Adnotatt. ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 44. — 16) Malim *scriptores Graecos et Latinos*, ut cap. 18. *optimos scriptores Latinos* pro *optimos auctores linguae Latinae*, et cap. 22. *Graecos scriptores* pro *Graecos auctores*. Similiter etiam Kuinoelius Orat. cap. 6. *auctores utriusque linguae* minus recte scripsit. Vid. Krebsii Antibarb. p. 119. et quae Frotscherus ad Quinctil. Instit. Orat. X, 1, 48. adnotavit. — 17) Carpzovius hic *Richardum*, et cap. 15. *Richardo* scripsit, quod sane praestare videtur. — 18) Similiter Camerarius cap. 6. et 18. *eruditione literarum*, atque cap. 17. *literarum eruditione*, et ut cap. 27. *eruditione doctrinae* scripsit. Vereor, ut recte. Cicero ut Camerarius paullo ante et cap. 31. utrumque vocabulum coniunxit Off. I, 33. *praeclara eruditione atque doctrina ornati*, sed *doctrinae* vel *literarum eruditio* nusquam dixit, nec dicere potuit.

venire passi fuissemus. Fuerit hoc erratum, mihi tamen profecto etiam opinio illa iucunda est, neque possum vel hodierno die animum inducere, ut aliter sentiam. Τὸ δὲ δοκοῦν καὶ τὴν ἀλήθειαν βιάζεσθαι, aiunt[19]). Et fuerit profecto hic error, si error sit, neque turpior, neque nocentior, quam est multiplex et varius error inter homines, ut non debeat nos huius nimium pudere, si quis illum exprobret, et impedimento fuisse perhibeat, quo minus opes, dignitatem, honores consequeremur.

III. Cum autem illius sanctissimae et optimae vitae consuetudinem animo meo repeto, imprimis[20]) ante oculos est Eobanus Hessus, ad quem tu quidem me primum adduxisti. Sed ille tam cupide me complexus fuit, ut neque dulcius, neque constantius fieri quicquam potuerit. Nam et favebat ardori, quo flagrare cernebat animum meum, studiorum bonorum, et diligebat paene puerilem simplicitatem audaciae in iis profitendis, quae tenere me crederem, et probabat interdum iudicium mediocris considerationis de iis, quae forte disserebantur; etiam firmitatem animi in simultatibus negligendis et contemnendis obtrectationibus. Meminisse enim te arbitror, quorum invidia me tum impetiverit, cum tu me acerrime defenderes et innocentiam meam tuereris. Erant autem aemulationes[21]) illae neque capitales, neque omnino culpandae. Alius alio videri doctior volebat. Dum igitur se praeferri studet ceteris, fieri non poterat, quin minus commode interdum de iis loqueretur, quorum existimatione suam famam premi suspicabatur. Ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις ἥδε βροτοῖσι, secundum Hesiodum[22]). Absit modo acerbitas contumeliae et odii crudelitas. Sed haec oblivioni, quasi ventis, dissipanda praebeantur. Cum autem annis ferme quinque postea[23]) quam ego Erphordiam reliqui, prospera fortuna me denuo cum Eobano coniunxisset, et augescentibus annis in mea vita aliquid mutationis accidisset, et mihi non nihil tristitiae oblatum fuisset, ita sum hoc amico usus, ut et consiliis et consolatione ab eo saepe numero adiuvarer. Sed praecipua erat suavitas et oblectatio in studiorum communium cultura, cum uterque alteri aliquid a se in hoc opere semper conferret. Nam ego nunquam dissimulavi, quantopere mihi profuerit Eobani familiaritas, et ipse, quo erat candore, non dubitabat interdum praedicare, quid commoditatis perciperet de mea.

IV. Cum autem vidissem ante annos aliquot epistolas huius scriptas ad diversos[24]), editasque magis studiose quam

Vid. Doederlini Synonym. Lat. Tom. V. p. 268. — 19) Quae verba unde deprompta sint, me ignorare fateor. — 20) Sic ubique pro *inprimis* scribendum esse existimavi. Vid. Reisigii Gramm. Lat. p. 203. et quae Haasius ibidem adnotavit. — 21) Nec hoc vocabulum in veterum libris plurali numero positum me reperisse memini. Vid. ad Narrat. cap. 1. not. 9. — 22) Operum et dierum vs. 24. — 23) Sic Camerarius: Carpzovius perverse *annis quinque postea ferme* edidit. — 24) Edidit has Io. Draconites Mar-

prudenter, vel ne studiose quidem satis; nam exempla incorrecta [25]) et mendosa divulgata sunt, et te non fugit, qualis Eobanus scriptor fuerit, qui non modo quicquid in buccam venisset, ut dicitur, efferre, et τὸ ἐπιὸν chartis committere, sed saepe admodum in festinatione [26]) negligenter exarare literas solerct: huius igitur epistolarum librum cum vidissem, ut non probabam [27]) talem editionem, ita factum illa occasione fuit, ut respicerem ad chartas meas, inter quas scirem Eobani epistolas ad me iacere. Invenique tunc plures, quam omnino putaram, et inter relegendum mirifice fui recordatione illorum temporum et consuetudinis nostrae delectatus. Fuit enim tum mos profecto optimus et humanissimus, et huic, quo nunc vivitur, dissimillimus; candor eximius in tribuendo cuique, quod illi deberetur; summa reverentia eorum, qui virtute et doctrina praestare crederentur; mira facilitas ad reconciliationem gratiae, si quid forte simultatum incidisset; in consuetudinis et familiaritatis usu nihil fucatum aut exulceratum; discendi, quod ignoraretur, inflammati studio animi, et nullus in confitendo pudor, nullum persequendi occasiones taedium, neque fastidium audiendi; imprimis autem parata bene meritis grati animi memoria. Sed ut ad rem redeam, ceperam iam consilium et has epistolas adhuc delitescentes apud me edendi, de quo statim ad te perscripsi: verum ea tempora inciderunt, quae non hoc modo turbarent, sed alias multas praeclaras res pessum darent [28]). Veni tum forte ad nostrum Sturciadem [29]) Erphordiam, qui et ipse de editione epistolarum Eobani non nihil conquerebatur, et cum expressarum [30]), tum alia autographa scripta Eobani mihi dedit. Sumsi tum et a Groningo nostro complura. Quae quo minus hactenus [31]), ut volueram, in lucem prodierint, multa impedimenta fuerunt. Etsi autem rursum [32]) is horror tempestatis se ostendit, ut quid omnino de studiis bonarum artium futurum sit, valde metuendum esse

purgi anno 1543. forma maiore. *Carpzov.* — 25) Rarius est vocabulum, quod non nisi apud Ovidium Trist. III, 14, 23. reperitur, ubi de Metamorphoseon opere: *Nunc*, inquit, *incorrectum populi pervenit in ora.* — 26) Similiter Camerarius cap. 27. *in celeritate* scripsit. Cic. Off. I, 36. *aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates.* Praestiterit tamen, nisi fallor, *nimis festinans negligenter*, vel *festinanter et negligenter* scribere. — 27) Hoc a Camerario profectum: Carpzovius invita, quod aiunt, Minerva *ut non probarem* substituit, quod grammaticis non placebit. — 28) Sic rectius, opinor, pro *pessundarent* scripsi. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. Part. I. p. 455. et Kritz. ad Sallust. Iug. cap. 1, 4. ubi *pessumdare*, ut *venumdare*, scribendum esse censuit. — 29) Ab Eobano in epistolis et carminibus nunc *Sturciades*, nunc *Sturtiades* appellatur medicus ille celeberrimus. — 30) Sunt, qui malint *impressarum*, quod Matthiaeo in libello: *Entwurf einer Theorie des lateinischen Stils*, Lipsiae a. 1826. edito, p. 10. recte displicuit. Vid. Krebsii Antibarb. p. 255. — 31) Pro *hactenus*, quod Kuinoelius quoque Orat. cap. 5. ita usurpavit, rectius *adhuc* posueris. Vid. Handii Tursellin. Vol. III. p. 9. sq. et Krebsii Antibarb. p. 238. — 32) Cur Carpzovius *rursum*, quod Camerarius recte praetulit, in *rursus* mutaverit, non dispicio. Vid. Walther. ad

videatur, tamen cum nuper incidissem et in hanc congeriem epistolarum Eobani, et ea, quae tu de hoc composita ad me miseras, cupido me cepit et conscribendi de illo, quae comperissem et mihi nota essent, et emittendi in publicum epistolas Eobanicas nondum editas, cum ad me, tum alios [33]) ab illo vere familiariter scriptas, sperabamque hoc opus, si absolveretur, et voluptatem legentibus allaturum, et non expers etiam utilitatis futurum esse. Multa enim inerunt et liberalibus iocis quasi condita, et utilibus disputationibus de bonis literis aucta, et gravibus etiam sententiis referta. Tibi certe scio, ut mihi descriptio et elaboratio fuit iucundissima, ita lectionem gratam, et hanc operam studii mei acceptam fore.

V. Scripturus autem de Eobano nostro ordiar de tuis indicationibus [34]), ut narratio ordine quodam procedat. Fuit igitur, ut significatur cum tuis, tum aliorum, quorum opera in his perquirendis usus fuisti, literis, Eobani patria ea pars Cattorum, quae spectat veteres Angrivarios ad Visurgin, in finibus ditionis Hessiacae. Parentibus natus est non illis quidem opulentis, sed honestis et integritatis ac pudoris laude inter omnes conspicuis [35]). Mater civis fuit oppidi Gemundini, pater in montibus, quibus territorium Hessiacum concluditur, operam suam dedit conventui Heinensi, qui religione iam pridem neglecta, et disciplina corrupta, dissipatus nunc est, et mutata res, ut illo loco pauperes aliquot alantur. Quo loco vim quandam admirabilem naturae considerandam esse puto, quae in temporum, locorum, hominum, eventuum maxima dissimilitudine similitudinem tamen semper aliquam exprimit, ut in varietate maxima congruentia summa animadvertatur a diligentibus et attentis. Nam cum Eobanus eam nostra aetate et his rebus praestantiam attigerit, quam olim rebus aliis Homerus quasi divinam et suspiciendam omnibus absolvisset, fuerunt inter hos similia permulta. Quemadmodum enim Herodotus tradit [36]), in ripa fluminis Meletis partu edi-

Tacit. Annal. I, 12. — 33) Carpzovius *quum ad me tum ad alios* edidit, repetita praepositione, quam Camerarius alibi quoque altero loco omisit. Sic cap. 12. *cum a se, tum liberis*, cap. 17. *cum ad se, tum me defendendum*, cap. 24. *cum propter pietatem et studium veritatis, tum humanitatem atque candorem*, cap. 28. *cum propter naturae simplicitatem, tum liberalitatem institutionis*, et cap. 31. *neque in cibo, neque potu delicatus* scripsit. — 34) Vocabulum *indicatio*, quod Camerarius etiam cap. 21. usurpavit, quum *aestimationem alicuius rei a venditore factam* significet, Latinis nusquam ita dicitur, ut nostris *Angabe* sive *Anzeige* respondeat. Praestiterit igitur *significationibus* scribere, quod Latinae consuetudini non adversatur. — 35) Cf. quae in Eobani carmine ad Posteritatem, quod in Addit. III. subiecimus, inde a vs. 63. leguntur. — 36) In libello de genere vitaque Homeri, qui Herodoto perperam tribuitur, p. 748. ed. Wesseling. haec narrantur: *Χρόνου δὲ προϊόντος ἐξελθοῦσα ἡ Κριθηῒς μετ᾽ ἄλλων γυναικῶν πρὸς ἑορτήν τινα ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν καλούμενον Μέλητα, ἤδη ἐπίτοκος οὖσα, τίκτει τὸν Ὅμηρον, οὐ τυφλόν, ἀλλὰ δεδορκότα· καὶ τίθεται ὄνομα τῷ παιδὶ Μελησιγενέα, ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ τὴν ἐπωνυμίαν λαβοῦσα.* Plutarchus autem in li-

tum fuisse Homerum, ita sub arbore in gramine mater recubans Eobanum enisa fuit[37]. Et ut patria Homeri ignoratur, sic non potuit certo cognosci, quo loco in lucem editus esset Eobanus. In pago quidem uno ex eorum numero, qui attributi essent conventui Heinensi, natum illum esse satis constat, sed non eundem omnes nominant. Non abhorret a vero, in pago natum esse, cui est nomen Teutonicum deductum ab hirco. Nam ille aliquando iocans *Tragocomensem* se appellabat. Fuere et fortunae origini pares, ac toto vitae tempore non admodum ille in parte aucta[38]) aut luculenta re vixit. Peregrinator etiam, atque oculis hebetibus: hoc uno Homero felicior, quod visum penitus non amisit[39]). Sed quamvis parentes haberet pauperculos, cura tamen illis fuit, ut Eobanus liberaliter educaretur. Nam fratrem huius natu minorem officinae statim delegarunt. Accepimus autem natum eum fuisse, et ita credi ipse postulabat[40]), anno Iesu Christi

bello de vita et poesi Homeri cap. 2. de eadem Critheide: *φοιτῶσα δὲ*, inquit, *αὐτὴ ἐπὶ τοὺς πλυνούς, οἳ ἦσαν παρὰ τῷ Μέλητι, ἀπεκύησε τὸν Ὅμηρον ἐπὶ τὸν ποταμόν, καὶ διὰ τοῦτο Μελησιγενὴς ἐκλήθη*. — 37) Eobanus ipse hoc testatur Idyll. V, 45. sqq. p. 27. sq.

Otia quandoquidem laudas, Philereme, fatebor,
Ipse ego silvestresque casas et agrestia tecta
Praetulero urbanis opibus vitaeque forensi:
Et me cara parens viridi connixa sub umbra
Edidit, et molles circum floralia cunas
Dona tulit, teneraque sedens lactavit in herba,
Aurifer Hessiacos ubi praeterit Aedera montes.

38) Ex Terent. Heaut. IV, 5, 50. *Omnes te in lauta et bene aucta parte putant*, quibus Bentleius, quum vocabulum *parte* merito suspectum esset, *Omnes te in lauta esse et bene aucta re putant*, substituit. — 39) Cic. Tusc. V, 39. *Traditum est etiam Homerum caecum fuisse*. Cf. Herodot. de genere vitaque Hom. p. 749. Plutarch. de vita et poesi Hom. cap. 2. et Pausan. IV, 33. Sed recte Vellei. Pat. I, 5. de eodem: *Quem*, inquit, *si quis caecum genitum putat, omnibus sensibus orbus est*. — 40) Eobanum ipsum, quo anno natus esset, in incerto habuisse, ex eo intelligitur, quod, quum in carmine ad amicum, quod in Addit. V. protulimus, vs. 23. sq. scripsisset:

Iam ter quinque ierant a nato saecula Christo,
Annos deme tamen cum tribus inde decem,

hoc distichon in carmine ad Posteritatem, quod in Addit. III. subiunximus, vs. 57. sq. ita immutavit:

Iam ter quinque ierant a nato saecula Christo,
Annos deme tamen cum tribus inde novem.

Quod secutus Micyllus in Epiced. Eobani vs. 75. sq. cecinit, ratione paullo aliter subducta:

Ter quinque exierant post natum saecula Christum,
Sublatis annis sed quater inde tribus.

Veritatem tamen postea ab Eobano ad liquidum exploratam esse, ex iis apparet, quae scripsit in Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. L. 8. b. *Tempus γενέσεως nostrae, quod habere omnino te velle cum summa mea voluptate scribis, tale certo certius est, quale his inclusum mitto per iuniorem Herosbachium explicatum, de quo tu iudicabis rectius cum nostro Schoenero, si modo ille dignabitur nobis hac in re dare operam; id quod tua magis causa quam mea ipsum facturum confido.* In epistolis antea ad Camerarium datis scripserat

ↀↀCCCCLXXXVIII. Nonis Ianuarii[41]), hora post illius diei meridiem XVII, id est, mane hora quinta diei dominici, quo ascriberentur in fastis Epiphania [42]). Ad quam si describatur thema genethliacum, animadvertetur non pauca congruere cum themate Homerico, exposito a Firmico [43]).

VI. Puer didicit a quodam Ditmaro, qui in illo conventu primas [44]) tum esset ecclesiasticus, prima elementa literarum. Veri simile est, quod celeriter omnia perciperet et fideliter retineret, placuisse, ut literarum studia sequeretur. Missus igitur fuit ad propinquos Gemundam, inter quos praecipuo loco et nomine unus Hartomanus [45]) Arnoldus, paulo natu grandior, qui postea in sua civitate magistratus praecipuos gessit, una cum illo audivit ludi magistrum cognatum suum, virum gravem et satis doctum, Ioannem [46]) Mebesium, qui hoc studeret, ut pueri imprimis grammaticas praeceptiones cognoscerent et intelligerent. Hi duo postea Francopergam profecti fuerunt, ad spem doctrinae uberioris, quod ibi ludum aperiret eruditione literarum [47]) tum celebris [48]) Iacobus Horlaeus, cum ageret Eobanus annum decimum quartum [49]). Hic vero magna benevolentia complexus Eobanum, quod eluceret in eo indoles eximia, una cum paucis quibusdam aliis, impendit illi extraordinarias operas doctrinae, et tradidit praecepta versuum faciendorum. Cumque aliquantulum temporis hac institutione [50]) consumsisset, iussit eos experiri in componendis versibus vires suas. Et proposuit sententiam illis

fol. M. 2. a. *Nisi nunc tot Sturtiadarum γενέσεσι esses occupatus, gravarem et ego te mea. Iam enim certus sum, quo anno, quo die, qua hora natus sim, quorum omnium, cum tecum essem, eram incertus: et tamen tuis coniecturis multa etiam hic respondent;* et fol. M. 3. a. *Potest enim fieri, ut uno ego anno sim iunior, quam esse me existimaram.* Iam vides, cur Eobanus in carmine illo *decem* in *novem* mutaverit. — 41) Quemadmodum hic *Nonis Ianuariis* scribendum est, ita cap. 13. *Calendas Apriles* pro *Cal. Aprilis*, et cap. 29. *Nonas Octobres* pro *Nonas Octobris* reponendum. Vid. Drakenborch. ad Liv. IV, 37, 3. — 42) Eobanus igitur non tam Nonis Ianuariis natus est, quam a. d. VIII. Idus Ianuarias sive die sexto mensis Ianuarii, qui dies, id quod Wunderus, collega coniunctissimus, me docuit, anno 1488. dies Solis fuit, cui in fastis ἡ ἐπιφανία sive τὰ ἐπιφάνια erant ascripta. Id ipsum igitur evincit, hunc annum Eobani natalem fuisse. — 43) Astronom. VI, 31. — 44) Immo *primarius*. Nam vocabulum *primas* non nisi apud Appuleium, malum Latinitatis auctorem, reperitur. — 45) Carpzovius *Hartmannus* substituit, quod quidem usitatius est. Similiter Camerarius cap. 22. *Chezimanus* scripsit. — 46) In huius praenominis scriptura neque Camerarius neque Carpzovius sibi constitit; ita tamen, ut ille plerumque *Ioannes*, quod praetuli, pro *Iohannes* poneret. — 47) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 18. — 48) Utique praestat *celeber*. Alterum tamen, quod Camerarius posuit, veterum scriptorum auctoritate non plane destituitur. Vid. Ruddimanni Instit. Gramm. Lat. Part. I. p. 164. sq. et quae Ernestius ad Tacit. Annal. II, 88. adnotavit. — 49) Rectius scribi *quartum decimum*, nunc inter grammaticos constat. Ceterum Kuinoelius quoque Orat. cap. 3. perperam *decimum sextum* pro *sextum decimum* posuit. — 50) Camerarius *de hac institutione* edidit, sed in Erratorum indice, id quod Carpzovius non vidit, *hac institutione*, omissa *de* particula, scribendum esse significavit. Kuinoelius, quum in vul-

euangelicae narrationis [51]), ita ut tum fere commemorabatur, hanc: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* In qua statim notasse ferunt Eobanum, quod una pars numerose caderet, ita ut pentameter elegiacus concluderetur. Sic autem accepimus expressisse versibus propositam sententiam, ut iam tum statim magister admiraretur vim promti ingenii [52]), et se profectus spem singularem de eo diceret concipere; ac [53]) arbitrari, divinitus sibi in mentem venisse, ut illam sententiam tum proponeret, ominisque boni id loco accipere: saepeque hortari Eobanum, pergeret quo deus et natura ipsius eum ducerent; non enim sibi dubium esse, quin vir magnus esset futurus. Audivi ipse ex Eobano, aliquando sibi dormienti et iacenti in quiete profunda oblatam speciem quasi navigii ad cursum omnibus rebus instructi, quod staret religatum ad litus. Cumque accederet, et intueretur illud sollicite, incessisse se cupiditatem navigandi, et visum fuisse sibi, quod [54]) funem solveret, et conscensa nave proveheretur, ita precatus, repente versu composito:

Da tandem, Fortuna, viam; iuvat ire per altum.

Fuisse Horlaeum virum optimum traditur [55]), qui mirificam voluptatem caperet de discipulorum profectu. Isque saepe postea, cum Eobani iam nomen celebrari inciperet, huius exemplo aliis ad discendum calcar cohortatione sua admovere solitus fuit. Imprimis autem placuerat illi et spem singularis excellentiae confirmarat in Eobano assiduum studium scribendi, et cura ac sollicitudo, ut scripta sua emendarentur. Cum enim esset ingenio acri et vehemente, quoties forte versus fecisset, si minus potestas daretur conveniendi magistrum, constat eum tum quaesivisse alios, a quibus errata corrigi posse speraret, neque repelli se passum fuisse ullis occupationibus horum, quin operam sibi dari peteret. Saepe in coetu exhibuit frequente versus suos, aut attulit ad convivium et precibus contendit, ut illi statim recitarentur, et si quid vitii in his esset, ut demonstraretur: negare rem moram ferre posse; sibi alios versus mox esse faciendos. Hac puerili et liberali importunitate multi tum delectati, et istum ardorem studii exosculati in puero Eobano fuerunt [56]), et dicere inter se: Fieri

gato recte offendisset, Orat. cap. 2. *in hac institutione* scripsit. — 51) Euang. Ioann. VIII, 12. *Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου· ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ οὐ μὴ περιπατήσει ἐν τῇ σκοτίᾳ·* qui locus paullo post ex vulgata, quam vocant, conversione affertur. — 52) His Carpzovius, quem Kuinoelius Orat. cap. 2. secutus est, temere *vim promtam ingenii* substituit. Utrumque tamen recte dicitur. — 53) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 13. — 54) Camerarium linguae Latinae scientissimum haec scripsisse miror ac paene indignor. Quippe *et visum fuisse sibi funem solvere, et conscensa nave provehi, ita precatum*, ponendum fuisse, nunc tirones norunt. — 55) Pro vulgari *tradunt.* Vid. Drakenborch. ad Liv. I, 31, 8. et Ruddimanni Instit. Gramm. Lat. Part. II. p. 13. — 56) Similiter Gell. II, 26. *scientiam rerum uberem verborumque eius elegantiam exosculàtus*, id est *blande approbans et admirans*, ut Forcellinus in-

non posse, quin illa incitatio et tam fervens studium admirabile nomen pariturum illi puero esset, si vita ei concederetur; vereri enim se, ne praecox ingenium ad fructum proferendum non perveniret [57]). Quem metum ut deus inanem esse voluit, ita opinionem ominis illos neutiquam fefellisse, exitus probavit.

VII. Cum in illo ludo mansisset Eobanus triennium, annos deinde natus sedecim Erphordiam, quasi ad uberiorem mercatum bonarum artium, profectus fuit, operam studii sui illi navante Magistro artium bonarum, patria Francopergensi, qui nominaretur Ludovicus cognomento Christianus [58]), vir pius et innocens ac doctus. Habuisse etiam aliunde adiumenta putatur ad studiorum cultum, et ut in hoc otio perdurare posset, popularium quorundam, qui facultatum copia abundarent. Erphordiae admodum tum iuvenis carmen composuit de infelicitate amantium, et alterum bucolicum [59]). Cum Erphordiae eos honores esset consecutus, qui in scholasticis communitatibus tribui solent iis, qui doctrina aliis praestare iudicantur, visum illi fuit peregrinationi operam dare, non tam, ut ipse aiebat, consideratione, quam impetu quodam animi. Erat illis temporibus in Borussia ad Vistulam praesul Risebergensis, gente nobili Nariscorum Iobus [60]), vir amantissimus omnium studiosorum bonarum literarum et artium. Huic conciliatus Eobanus, qui sibi cognomentum patriae sumserat, et ante Eobani nomen Graecum ponere voluerat, quo Sol significaretur, ut esset appellatio tota *Helius Eobanus Hessus*; (reddidit autem causam, cur *Helii* nomen ascivisset, carmine [61]), quod edidit Erphordiae) praesuli igitur Iobo conciliatus Eobanus fuit mirum in modum gratus. Admirabatur in adolescente vir prudens vim ingenii, et simplicitatem amabat, et perpetuam sibi illius familiaritatem pollicebatur, ideoque beneficiis variis obnoxium sibi reddere eum studebat. Scripsit tum Eobanus et alia quaedam, et ad imitationem Ovidianam [62]) Heroidas, quas postea retexuit, et nimis futiles

terpretatur. — 57) Exspectes *perveniat* pro *perveniret*, et paullo ante *sit* pro *esset*. Ceterum de hac opinione, quam veteres quoque habebant, vid. Heindorf. ad Horat. Sat. II, 7, 4. — 58) Vid. Addit. IV. Vocabulum *cognomentum*, licet *cognomen* Gell. X, 12. et Claudian. XXVI, 555. ita usurpetur, pro *nomine* ponere nolim. Cf. Boetticheri Lex. Tacit. p. 95. — 59) Alterum carmen de infelicitate amantium ab Idyllio septimo, in quo Philotas et Narcissus de amoribus suis conqueruntur, haud dubie diversum in *Operum Helii Eobani Hessi farraginibus duabus*, Francofurti a. 1564. editis, non reperitur, alterum bucolicum est Idyllium secundum, quod *Cantilena Philetae* inscribitur. — 60) Id est *Hiob von Dobeneck, aus einem adeligen vogtländischen Geschlechte*, ut interpretatur Erhardus in Encyclopaediae ab Erschio et Grubero editae Sect. II. Part. VII. p. 208. Quae si vera sunt, ut esse videntur, Camerarium *Nariscos* pro *Variscis*, qui vulgo vocantur, posuisse apparet. Cf. *Vergleichendes Wörterbuch der alten, mittleren und neuen Geographie. Von Fr. H. Th. Bischoff und I. H. Möller. Gotha*, 1829. in nomine *Narisci*. — 61) Vid. Addit. V. — 62) Scribe *Ovidii*, quum huius poetae imitatio *Ovidiana* dici non possit. —

inde fabulas exemit, ac multo meliora et graviora fecit omnia. Est autem et primum opus memorabile, et eo etiam nomine spectandum, quod initia complectitur facultatis poeticae et specimen Eobanici ingenii; praesertim cum non incubuerit ille in compositionem, sed, ut mihi saepe retulit, maximam partem animo suo composuerit et absolverit eques, dum comitaretur forte praesulem, aut ad venationem proveheretur, aut mandata itinera faceret. Erat consilium praesulis, ut Eobani opera ad scripturas uteretur[63]), et negotia ea, quae requirunt civilem prudentiam [64]), et ad obeundas legationes, si quando aliquis ad vicinos principes mittendus esset. Curavit igitur Lipsiae comparari libros, quibus descriptum ius comprehenditur, studio primum imperatorum, deinde imitatione pontificum Romanorum, ideoque coepit ius civile et pontificium appellari. Sumtibus etiam liberaliter instructum Eobanum ad hoc studium Lipsiam misit. Quo venit, cum ego in prima pueritia ibidem discipulus essem optimi et integerrimi viri Georgii Helti Vorhemii [65]), cum vestitu aulico; ea erat talaris vestis, ut tum consuetudo ferebat, punicea. Ipsum eo tempore fuisse Eobanum oportet natum annos viginti quinque. Nam incidit hoc in annum Christi Iesu cIↃIↃxIII.

VIII. Erat iuvenis ille pulcherrimus, corpore firmo et procero, et membris elegantibus, facie plane virili et ore severo, barbaque conspicua ac profunda genae totae vestiebantur. Neque ego facile existimo, fuisse quenquam a primo ortu, cuius habitus atque constitutio[66]) ac species cum Eobanico corpore conferri, nedum huic ut illa praeferri possent. Omnia etiam, quibus exercendo corpus reddi solet cum agilius, tum robustius, studio sibi habuerat[67]), ut luctaretur, ut illos gestus dimicationum et chironomias disceret, ut saltaret, ut nataret. Neque in ullo genere facile alteri aequalium cedebat. Est ad Risepurgum[68]) piscina spatiosa, neque ulla parte sui non distat ripa una huius ab altera ter mille passibus[69]): quam etiam propter hoc, quod narraturus sum, ipse,

63) Vide, ne coll. Cornel. Eumen. cap. 1. rectius scribas: *ut Eobanum haberet ad manum scribae loco.* — 64) Cicero Invent. I, 5. et de Orat. III, 31. *civilem scientiam*, atque de Orat. I, 14. *rerum civilium cognitionem et prudentiam* appellavit. — 65) Camerarius Narrat. de vita Phil. Melanchthonis cap. 63. *Vorhemensem* appellavit. Carpzovius *Vorchemii* scripsit, quod praestare videtur. Heltum enim sive potius Heldum a patria *Forchheim*, oppido ditionis Bambergensis, ita cognominatum esse apparet. Praeterea vid. ad Narrat. cap. 19. not. 182. — 66) Addiderim *corporis*. Cic. Off. III, 33. *corporis firma constitutione*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 157. — 67) Id est, ut opinor, *er hatte sich dessen befleissiget*, pro quo malim *studiose tractaverat*. Similiter Camerarius cap. 27. *studio ille habuerat* pro *ille studuerat* posuit. — 68) Carpzovius *Riseburgum* substituit. Eodem tamen modo *Marpurgum* scribunt. — 69) Camerarius edidit *ter M. pass.*, id est vel *ter mille passus*, vel *ter mille passibus*, quod Carpzovius praetulit. Utrumque autem recte dicitur. Vid. ad Narrat. cap. 12. not. 105. Paullo post scribere malim:

eum in Borussiam aliquando venissem et illo in oppido pernoctassem, diligenter fui contemplatus. Solebat in ea interdum natare Eobanus, et natando etiam certare cum aequalibus. Quodam die cum vestes reposuisset [70] ad ripam, quae oppidum spectaret, et demisisset se in piscinam, quod ad alteram illius ripam posse se natando procedere gloriatus inter suos fuisset, illo quidem perrexit; sed tum demum consideravit animo suo, quam longo ambitu [71] sibi nudo ad vestes redeundum, et quod pagi etiam transeundi aliquot essent. Itaque pudore nuditatis [72] demersit se denuo in aquas, et continuata natatione confecit ad sexies mille passus potius quam se ullius hominis oculis in via nudum offerret. Erat autem in hoc ingens verecundia, quae etiam senescentem prosecuta ita ingenium hominis temperabat, ut moderatio illa ad augendam rem ei, ita ut fit [73], noceret.

IX. Cum autem non posset non sentire, quantum et ingenii et corporis viribus valeret, et esset in eo animus excelsus, quo fieret, ne aliis inferior haberi facile pateretur, non ut se ullis praeponeret, aut sua bona ostentaret, id quod ab eius summa humanitate longissime abfuit, sed ne, non praestando quod posset, sibi ipsi contemtus auctor exsisteret: unum vereor ne nimis iuveniliter et incogitanter [74] tum non deliberaverit, sed ausus fuerit facere, quo et ingenium debilitaretur divinum, et excellentis corporis quasi soliditas labefieret. Putavit enim se etiam inter poculorum certamina, quae maxime tum in aulis certabantur [75], et a nobilitate frequentabantur, non vinci ab altero oportere [76]. Advehuntur in illa loca etiam vina plenissima [77]. Sed potus coquitur cum alibi, tum maxime Gedani is, qui cerebro infestior sit fumis suis, quam vini cuiuscunque ingurgitatio [78]. Ac [79] est ille qui-

propter id, quod narraturus sum. — 70) Praeferam equidem *deposuisset*, quamquam Virgilius Aen. V, 619. scripsit: *faciemque deae vestemque reponit.* — 71) Malim *circuitu*. Caes. B. G. VII, 45. *longo circuitu easdem omnes iubet petere regiones.* — 72) Dubiae auctoritatis vocabulum. Etenim Quinctil. Instit. Orat. X, 2, 23. codices meliores pro *nuditas* offerunt *iucunditas*, quod Spaldingius et Frotscherus recte praetulerunt. Scribe igitur *pudore nudati corporis.* — 73) Pro vulgari *ut fit*, quod Camerarius, qui cap. 28. *quemadmodum fit* scripsit, cap. 11. posuit. Sic etiam Cic. Verr. II, 23. *queri cum multis, ita ut fit, incipiunt.* Paullo ante *in eo* pro *in hoc* scribere malim. — 74) Adiectivum *incogitans*, quo Camerarius cap. 14. usus est, Terent. Phorm. I, 3, 3. et III, 2, 14. legitur: adverbio *incogitanter*, quod Camerarius confinxit, substituas velim *inconsulte* seu *inconsiderate.* — 75) Satis constat, Latinos Graecorum more *bellum bellare*, *pugnam pugnare* aliaque id genus usurpare. Cf. Sanctii Minerv. Lib. III. cap. 3. Tom. I. p. 514. ed. Bauer. Neque tamen modus in his excedendus. Possis igitur hic quoque *inibantur* scribere. Ceterum *poculorum certamen*, quod Camerarius dixit, Tibull. III, 6, 11. *vini certamen*, et Plin. H. N. XXXVI, 21. *certamen bibendi* vocatur. — 76) Vid. Addit. VI. — 77) Forcellinus: „*Vinum plenum* Cels. I, 6. opponitur *tenui.*“ — 78) Hoc vocabulo usus est Firmicus Astronom. V, 8. *qui conviviis et ingurgitationibus delectantur.* — 79) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 13. —

dem hoc quoque consecutus, ut de palma in isto genere cum Eobano contendere vellet nemo. Sed brevi tempore repletione[80]) nimia iuvenile corpus graviter afflixit, et vires non nihil enervavit. Narrabo hoc loco, etsi mihi res non placet, et saepe indignatus fui animo meo, hoc etiam malum corripuisse Eobanum, et communem cladem nostrorum hominum deploravi, cum illi dicerem: Ita eum se ipsum oppugnasse[81]), ut castella et arces solerent tormentis. Sed quamvis iucunda mihi mentio non sit, tamen, quia scitum est, narrabo, quid inter eum et gloriosum alterum potorem acciderit. Aderat forte Eobanus in convivio. Eodem venit ille quoque, et iussit intro ferri vas grande ligneum, quo apportari de puteis aqua solet, (nos situlam aut urnam possumus, ut opinor, nominare) cuius generis minimum capit ad congios duos. Id posuit in medio repletum Gedanensi cerevisia, ac praefatus quaedam, quae comperisse se diceret de strenua potatione Eobani, petiit, ut ebiberet illud vas, sibique propinaret: hoc si fecisset, praemium se iam ei tribuere annulum cum gemma pretiosa, quem detractum de digito in vas illud abiecit. Eobanus nihil cunctatus, neque multa locutus, non enim solebat, arripit vas, et non longo tempore assumto[82]) evacuat bibendo, et cum everteret[83]), sicut fert mos compotantium, decideretque annulus in mensam, applaudere illi omnes, et imprimis provocator, et annulum donare, ac[84]) incredibile se factum cognovisse dicere. Tum Eobanus torviore vultu, ut consueverat in commotione, eum intuitus: Quid? tu, inquit, me mercede potare censes? ac reiecto ad illum annulo: Tuum, inquit, annulum tibi habeto, et idem, quod ego feci in vase isto evacuando, ut promisisti, facito. Tum ille ostentator inchoatam rem cum perficere non posset, ab omnibus derisus, et in convivio obrutus somno relictus fuit. Hoc igitur illi incommodi, vel infelicitatis potius, ab axe boreo[85]) inflictum fuit. Etsi autem me non fugiebat, haec futilia visum iri quibusdam, non etiam nullis[86]) frugalioribus externorum hominum inepta, tamen ad narrandum hoc me de iuvene Eobano cum Socratis senis exemplum, qui illum in Platonis convivio psyctera paene congialem exhaurit propinatum ab Alcibiade[87]),

80) Pro cadentis Latinitatis vocabulo sive ex Cic. Fin. V, 14. *expletione* substituas, sive *satietate* scribas. — 81) Quod Camerarius edidit *ita eum se ipsum oppugnasse*, vel Carpzovii vel typographi negligentia in *ita tum se ipsum oppugnasse*, mutatum est. — 82) Ita Latini non loquuntur. Nam verborum Cic. Epp. ad Div. VII, 25. *Atque equidem aliquantum iam noctis assumo*, diversa est ratio. Scribe igitur *sumto*. Liv. XXXII, 11. *interdiu cibi quietisque sumeret tempus.* — 83) Camerarius rectius, ut opinor, *inverteret* scripsisset. Sic Plin. H. N. XV, 17. *vasa inversa* dicuntur. Aliter Horat. Sat. II, 8, 39. de Vibidio et Servilio Balatrone: *Invertunt Allifanis vinaria tota.* — 84) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 13. — 85) Hoc petitum ex Ovid. Trist. IV, 7, 41. *sub axe boreo.* — 86) Insole[illegible] pro vulgari *non nullis etiam* positum. — 87) Vid. Platonis Sympos. [illegible] ubi res lepida nar-

invitavit, tum promta simplicitas ad omnia, et in experiund quidvis strenua Eobani cupiditas hac etiam in parte declarar visa fuit ingenii vim et corporis robur, quo utroque eum no fuisse ad ullas res malas et turpes abusum, equidem et me morabile, et ipsi gloriosum esse iudico. Sed de his statua quisque, quod voluerit, ac nostra pergat oratio ad alia iu cundiora.

X. Erat Gedanensis quidam aequalis ferme aetate Eo bano, neque corporis specie longe inferior, inferior tamen pariter et ingenio minor, qui patria appellatione se *Dantisca num* nominaret. Inter hos praeclara contentio exstitit ingeni et eruditionis, cum alter alterum operibus musicis[88]), initi sane, ut accepimus, aliquanto[89]) infestius provocaret. Se Dantiscanus vir prudens celeriter sensit, quam longe in ho spatio ab Eobano relinqueretur, et ingenua confessione prima Eobano concessit, et ipse aliam laudis ac praestantiae vian ingressus fuit. Nam Sarmatico regi se adiunxit, cuius no mine legationibus ad alios reges et principes functus ad di gnitatem et opulentiam maximam pervenit, habuitque sempe postea animo suo carum Eobanum, et non nihil etiam fortu nae suae commoditatis ad eum transtulit, cum interdum mu nusculis eum augeret, cumque vicissim Eobanus coluit et or navit scriptis suis. Hic est Dantiscanus, qui constantissim dilexit omnes bonarum artium studiosos, et ipse ad extremum usque senium[90]) easdem coluit, factus benignitate regis Po loniae praesul Varmiensis. Erat autem homo festivus et per facetus. De quo aliquando mihi clarissimus vir, virtute e doctrina praestans, summus noster Georgius Sabinus[91]) retu lit, cum Regio monte[92]) ad eum forte venisset, fuisse se al eo acceptum perquam humaniter et benigne. Postquam abie rant dies aliquot, et significasset Sabinus, se velle discedere[93]) et reverti domum, petiit praesul, ut pranderet prius. Coepe rat tum fama spargi, in pagis, qui redeunti transeundi erant saevire pestilentiam. Tum praesul, Ecquod haberet contra morborum contagionem alexipharmacon? interrogavit. Sabinus Habere se nescio quid, respondit. Tum praesul: Nihil, inquit

ratur. — 88) Id est *poeticis*. Sic Camerarius cap. 17. *in gubernatione regu musici* et *incitatus musico impetu animus*, atque Eobanus Addit. V. vs. 5 *musica turba* et Addit. XVIII. vs. 28. *musica vena* scripserunt auctore Te rentio, qui poetas Heaut. Prol. vs. 23. *ad studium se applicare musicum*, e Phorm. Prol. vs. 18. *artem tractare musicam* dixit. — 89) Hoc a Camerari profectum: Carpzovius autem *aliquando* edidit, quod nescio an typographi potius, quam editoris negligentiae sit tribuendum. — 90) Scribe *ad extremam usque senectutem*. Vid. Doederlini Synonym. Lat. Tom. IV. p. 95. et Krebsi Antibarb. p. 443. — 91) Philippi Melanchthonis gener, cuius carmina La tina etiamnum leguntur et compilantur. Vid. *Gymnasial-Zeitung* a. 1840. No. 30. p. 247. sq. — 92) Camerarius *Regiomonte*, Carpzovius *Regio monte* scripsit, quorum hoc illi praeferendum esse existimavi. — 93) Haec verba, quae per typographi errorem in utraque editione leguntur hoc modo: *et signi ficasset, se Sabinus velle discedere*, in iustum ordinem redegi; id quod iam

iocuerit a me aliquid etiam te accipere. Habeo enim praecens remedium ad permulta, quae iter facienti accidere possunt. Cumque dimitteret Sabinum, tradidit ei ita compositum quidlam, ut speciem vasculi haberet, in quo solent medicati pulveres asservari, ac praedicare coepit usum mirabilem, et dicere, se esse saepissime beneficium illius medicamenti experum. Cum in manus accepisset Sabinus, statim sensit, quid nedicamenti esset, pondere. Nam arte compegerat praesul complures argenteos, qui de valle, ubi primum percussi fueunt, Ioachimici vocantur, quos, ne magni facere ipse donum uum videretur, cum hac illi festivitate obtulit. Sed exeunlum nobis e Borussia est.

XI. Lipsiae igitur ego puer et primum vidi Eobanum, et de fama admiratus fui atque venerans suspexi. Habebat um academia Lipsica doctos viros multos. Unum malevolenia et odium quorundam paulo ante expulerat, qui in vicinia id Albin 94) postea consenuit, et obiit diem suum 95), vir omnibus bonis carus, Ioannes Aesticampianus. Sed aderant um eruditionis et humanitatis principes, Ioannes Sturnus 96), Vitus Berlerus et Georgius Aubanus, Franci ambo. In meo autem magistro, Georgio Helto, cum neque esset ingenium infelicius, quam in quovis alio, studium vero et industria haud scio an admirabilior, quam in ullo 97), tamen et moderatione animi et metu quorundam, quibus eum obnoxium reddebat institutum vitae genus, coercebatur, ne familiariter cum iis se coniungeret, qui politi et exculti literis tantum videri volebant. Nam quod aliquando hi etiam liberius exsultarent, ut fit, grandiores natu, qui aliam rem et doctrinam illam esse animadverterent, quam de qua ad dignitatem et emolumenta ipsi pervenissent, offendi, et ex his non nulli irasci atque repugnare novitati, quidam etiam inventi, qui invidia et odio exstimularentur, et studiis essent iniquiores; id quod omnibus mutationum temporibus antea accidit, et posthac eventurum est. Sed illi, quos nominavi, minus curare veluti censuram senum, ac sua studia colere, et doctrinam horum profiteri ala-

Carpzovius facere debebat. — 94) Camerarius, quum cap. 5. *ad Visurgin* scripsisset, hic etiam *ad Albin* posuit, quod Carpzovius in *ad Albim* mutavit, suffragante Vellei. Pat. II, 106. *a Rheno usque ad flumen Albim.* Vid. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. Part. I. p. 297. sq. — 95) Sic etiam Sulpicius, quem Camerarius cum Micyllo Epiced. Eobani vs. 250. hic et cap. 32. secutus esse videtur, in Cic. Epp. ad Div. IV, 12. scripsit: *paullo ante lucem Marcellum diem suum obiisse.* Vulgo Latini *diem obire* vel *diem suoremum obire* dicunt. — 96) Huius viri poetica virtute ab Eobano Silvar. Lib. I. p. 372. sq. celebrata clarissimi nomen, quod auctore Camerario restitui, incuria Carpzovii interciderat. Praeterea de Sturno vid. Baumgarten-Crusii, generi carissimi, libellum *de Georgii Fabricii Chemnicensis, Rectoris Afrani, vita et scriptis, Part. I. Misenae,* 1839 p. 25. — 97) His verbis Carpzovius per errorem inexcusabilem substituit *quam in illo,* quae non habent, quo referantur. Vocabula *ulla* et *illa* etiam in Micylli Epiced. Eobani vs.

criter, et tum sese cum Eobano cupidissime coniungere. Ibi ille, quem natura etiam a Musis aberrare non pateretur, et horror tractationis a studio iuris repelleret, oblitus voluntatis ac mandatorum praesulis sui pecuniam confecit, et libros grandes istos legum atque constitutionum divendidit, et mox Erphordiam ad incunabula doctrinae suae se retulit.

XII. Paulo post venit Lipsiam Euricius Cordus, patria et ipse Hessiacus, natus in viculo [98]), cui nomen Simus [99]), unde et *Simusii* cognomentum aliquando assumebat [100]), attulitque secum Bucolica sua, quae Lipsiae volentibus audire explicuit. Eum primum vidi apud meum magistrum, Georgium Heltum. Cumque caperetur animus puerilis sermonibus eruditis illius, egregiam rem esse suspicari coepi poeticam: nam hos poetas nominari audiebam. Hic Cordus postea medicus factus cum a se, tum liberis [101]) egregiam laudem doctrinae posteris reliquit. Quae esset immensa, si filio huius Valerio id absolvere, quod uterque instituerat, licuisset: qui Romae est cum omnium luctu mortuus, et reliquit ingens desiderium non modo peritiae et doctrinae, sed etiam virtutis et humanitatis suae. Cum patre autem mihi singularis usus necessitudinis intercessit Erphordiae: neque illo ego quenquam cognovi magis vel vehementius potius studiosum veritatis, et qui peius odisset mendacia et vanitatem. Erat autem natura asperior et paulo impatientior, quaeque [102]) dissimulare nihil fere, quo offenderetur, ac ferre posset. Quod in causa fuit, ut in aliquorum interdum indignationem incurreret, a quibus potuisset sublevari, si favorem ipsorum ambiret ac retineret [103]). Declaratur id epigrammatis, quae edidit, et hoc ipsum studium, quale dixi, tale hominis fuisse ingenium ostendit. *Cordum* nominarat ille se: nam editus fuerat extremo partu matris suae. *Euricium* autem de *Henrico* fecerat Cunradus Mutianus Ruffus [104]), qui in sodalitio ecclesiastico Gothae degebat. Et cum esset nobili familia ortus, neque non offerrentur occasiones illi amplissimorum honorum, quod et fratrem haberet in principis Cattorum aula primo loco, et ipse non modo animi ac corporis donis, sed Italica etiam disciplina commen-

58. sunt confusa. — 98) Usus est hoc vocabulo Liv. XXI, 33. *Castellum inde, quod caput eius regionis erat, viculosque circumiectos capit.* — 99) Nostra lingua *Simmtshausen* appellatur. — 100) Malim *sumebat*, quod verbum Camerarius etiam cap. 7. praetulit. Cic. Philipp. VI, 4. *hoc enim puto Trebellium sumsisse cognomen.* Suetonius tamen Octav. cap. 7. *Postea*, inquit, *Caesaris, et deinde Augusti cognomen assumsit.* — 101) Vid. ad Narrat. cap. 4. not. 33. — 102) Pronomen relativum, quum Camerarius paullo ante non *Erat autem ei natura asperior*, sed *Erat autem natura asperior* scripserit, parum commode ad vocabulum *natura* refertur. Vide igitur, ne *quique* pro *quaeque* sit reponendum. — 103) Grammatica verborum constructio *ambisset ac retinuisset* requirit. — 104) Alibi ab ipso Camerario atque ab Eobano in epistolis et carminibus *Rufus* appellatur. Eandem huius nominis scripturam secutus est Stigelius in carmine, quod literis ad Camerarium datis inclusum

daretur, splendori et opulentiae fortunam exilem et infra mediocritatem positam Gothani collegii praetulit. Abest autem Gotha Erphordia milibus passuum [105]) non multo amplius duodecim. Ad hunc primum a te, Adame, adductus saepe praedicavi, ut scis, me illum cognovisse optimum et sapientia ac virtute praestantissimum virum. Dignitas in hoc erat summa, gravitas autem ea, quae aetatem et locum, quem tenebat, deceret, commista illa quidem cum comitate incredibili. Mirifice autem laetabatur, cum audiret, sedulo operam dare literis iuventutem, et quibus rebus poterat in hoc spatio solebat incitare currentes: superstitionibus inimicus, et hospitalis in re tenui admodum; sed erga studiosos literarum tantum. Nam aliorum fere omnium consuetudinem fugiebat, adeo ut nimis fuisse appetens otii studiorum et tranquillitatis hac in parte videri alicui possit, quam *beatam* praescripto aedibus titulo se arbitrari significabat, ubi et hoc visebatur elogium [106]): *Bonis cuncta pateant* [107]). Sed turbarunt hanc tranquillitatem ea tempora, quorum difficultas ac miseria [108]) iam inchoata ad eam perducta est tristitiam et calamitatem, quam experitur et cum qua conflictatur aetas nostra. Qui autem finis futurus sit, nulla coniectura humana potest prospicere.

XIII. Solebat Mutianus, tum quidem canus, (nam annis gravis erat, cum ad eum primum veni) adolescentibus studiosis literarum, qui ad se visendum accessissent, proponere materiam, quam scribendo elaborarent, et scripta postea emendare, et saepe non admodum digna collaudare, ut hoc pacto ad diligentiam et curam studiorum excitarentur animi illorum. Erat autem festivissimo ingenio, et liberalibus iocis admodum delectabatur. Epistolas ad amicos scribebat libenter. Genus autem erat sententiosum orationis et incisum: quale est Politianicum, ad quod in Italia erat assuefactus. Rhythmis etiam ludebat interdum, cum quidem versus faceret sat bonos. Divulgati quidam fuerunt de improbitate simulantum religionem. Sed ipse neque edidit suorum quicquam, neque reliquit, (affirmante etiam hoc optimo et doctissimo viro Ioanne Marcello Regiomontano, qui affuit, cum moreretur, et in sua omnia illius potestate habuit) quod edi recte posset, et omnino se sua publicari nolle aiebat. Ac mihi percontanti [109]) ali-

in Addit. I. subiecimus. — 105) Camerarius edidit *Mil. pass.*, id est vel *millia passuum*, vel *millibus passuum*, quod Carpzovius praetulit. Utrumque autem recte dicitur. Vid. ad Narrat. cap. 8. not. 69. Pro *millibus* tamen *milibus* scripsi. Cf. nostras Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. p. 419. — 106) Vid. quae Klotzius de vocabulo *elogium*, quo Camerarius etiam cap. 31. usus est, adnotavit ad Cic. Tusc. I, 14. *quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare?* — 107) Vid. Addit. IV. — 108) Sic Camerarius: Carpzovius parum accurate *difficultas et miseria* edidit. De harum particularum discrimine vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 460. sqq. — 109) Camerarius scripsit *perconctanti*, quod Carpzovius formam *percunctanti* recte aspernatus in *percontanti* mutavit. Vid. Kritz. ad Sallust. Cat. cap. 40, 2. —

quando causam, quam ob rem tam pertinaciter premeret scripta sua, cum omnes arbitrarentur, et ego quoque putarem, eum scriptionibus operam dare; ita fieri respondit, quia sua sibi nunquam satis placerent, ideoque malle se frui aliorum stultitia. Erat nimirum ei persuasum, non facere sapienter illos, qui sua scripta facile emitterent in lucem [110]; praesertim cum illis temporibus non emitterentur, sed evolarent undique omnis generis libri. Mortuus est Mutianus Gothae, rebus turbulentis in Germania, in dolore, ut apparebat, amissae dignitatis et diminutae [111]) rei familiaris, anno Chrisi Iesu CIƆIƆXXVI. tertio Calendas Aprilis [112]), vir magnus et probitate, integritate, virtute, sapientia, humanitate excellens, decus et ornamentum eorum, quibuscum vixit, et patriae, immo Germaniae totius et saeculi sui.

XIV. Sed ut ad Eobanum revertar, rediit ille Erphordiam, et tum etiam Mutiano, qui antea quoque adolescentem illum favore prosecutus fuisset, quemque ipse in quodam carmine Eobanus formatorem studiorum suorum nominat [113]), et de quo fecerat versum [114]), qui in ore erat tum plurimis:

Hesse puer, sacri gloria fontis eris,

huic igitur Erphordiam ille reversus non modo carus, sed admirationi quoque fuit. Saepe igitur ad eum scribebat, saepe ab eo literas accipiebat, saepe excurrebat Gotham Eobanus, ut cum Mutiano versaretur. Audivi tamen de Mutiano [115]), offensum se aliquando fuisse Eobani moribus in potu: tum enim erat interdum in hilaritate ferocior; non ut laederet quenquam, sed ut esset paulo saepe incogitantior et minus circumspectus, atque animo remissiore. Neque quisquam tamen unquam comperit dedecus eum etiam in ista laetitia admisisse, vel dicto vel facto. Verum senescentis illius gravitas iuvenilem huius exsultationem interdum non moleste quidem tulit, sed improbavit tamen; praesertim cum in flore Eobanus aetatis et vita liberiore etiam amare coepisset. Amavit autem caste virginem Erphordiensem Catharinam, quam postea uxorem

110) Verba *in lucem* Camerarius, ut opinor, rectius omisisset. Vid. Krebsii Antibarb. p. 193. et ad Narrat. cap. 15. not. 123. Sueton. Claud. cap. 33. *de cuius arte librum quoque emisit*, et Cic. Epp. ad Div. VII, 33. *si quando aliquid dignum nostro nomine emisimus.* — 111) Scribe *deminutae* et cap. 21. *deminuere.* — 112) Immo *Apriles*. Vid. ad Narrat. cap. 5. not. 41. — 113) Silvarum Lib. I. in Epist. ad Mutianum Rufum p. 349.

At tu, Rufe, meae formator prime iuventae,
Per te vocalis debita fama lyrae.

114) Ut perplexae orationi aliquo saltem modo succurratur, scribe: *et de quo ille fecerat versum.* Nam verbum *fecerat* non ad Eobanum, sed ad Mutianum pertinere apparet. Ceterum Eobanus ipse hunc versum carmini ad Posteritatem, quod in Addit. III, subiecimus, post vs. 97. inseruit. — 115) „*Audire de aliquo homine* de iis usurpatur, quae audiuntur ex ipsis loquentibus, *aus eignem Munde.*" Sunt verba Handii Tursellin. Vol. II. p. 191. Aliter Stigelius in epistola ad Camerarium, quam in Addit. I. subiunximus, *de*

duxit, et cum qua multis annis maritus vixit, et ex qua utriusque sexus numerosam sobolem suscepit. Ea habebat patrem honestum in civitate sua hominem, (illarum aedium dominum, quas postea Georgius Sturciades emit, et Eobanus suis scriptis exornavit ac celebravit) qui moribus aliquanto erat durior et senecta aetate amarior [116]). Accidit, ut de hoc apud Mutianum quereretur [117]) Eobanus; tum ille hoc modo respondit:

Si tibi nata placet, fer patris imperium.

Postea et socerum ille aequo animo tulit, et cum coniuge amanter vixit. Et docuit bonas literas Erphordiae admodum tenui stipendio, cum neque tum rebus omnibus, quae ad victum et cultum sunt necessariae, vilibus opus esset multo, neque ipse partem vel minimam curae impenderet faciendae rei [118]).

XV. Non ita multo post ego annos natus octodecim [119]), qui Iesu Christi annus fuit cıↄıↄxviii, Erphordiam et ipse me contuli, cum Lipsiae vixissem annis quinque, et duobus operam dedissem Ricardo Croco Britanno [120]), qui primus explicuit doctrinam Graecarum literarum in Germania, fuissemque etiam Metzleri [121]) et Petri Mosellani auditor. Hanc famam cum attulissem mecum Erphordiam, qui concursus ad me adolescentum optimorum complurium factus, quaque benevolentia me plerique omnes complexi sint, tu optime nosti, Adame, omnium studiosissimus nominis mei. Sed in meum adventum incidit discessus Eobani, qui tum adiuncto sibi comite uno, iuvene egregio, bonarnm artium Magistro, Bertero, rebus atque temporibus non admodum expeditis et secundis, iter ingressus fuit, ut Erasmum videret ac conveniret in Belgico [122]) tunc degentem. De scriptis enim illius, quae tum crebra prodibant [123]), mirifica cupiditas [124]) erga hunc et ingens favor exstiterat omnium. Applaudebatur quasi in scena

quo quidem audivi permulta scripsit. — 116) Obversabatur Camerario Ciceronianum illud Epp. ad Att. XIV, 21. *Amariorem enim me senectus facit.* De *senecta aetate* cf. Doederlini Synonym. Lat. Tom. IV. p. 93. sq. ibique loco Lucret. V, 884. adde vs. 894. et Plaut. Trinumm. I, 2, 5. p. 213. ed. Lindemann. — 117) Latinos et *apud aliquem queri* et *queri cum aliquo* dixisse, docuit Handius Tursellin. Vol. I. p. 413. et Vol. II. p. 148. — 118) Sic Terent. Adelph. II, 2, 12. *Nunquam rem facies*, id est *divitias parabis.* Adde Horat. Epp. I, 1, 65. sq. — 119) Praestat *duodeviginti.* Vid. Krebsii Antibarb. p. 335. — 120) Quod Camerarius edidit *Ricardo Croco Britano*, Carpzovius in *Richardo Croco Britanno* mutavit. Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 17. — 121) Camerarius *Mezclero* pro *Mezlero*, quod Carpzovius substituit, ut cap. 24. *Spengeleri* pro *Spengleri*, et paullo post perperam *Moselani*, sed cap. 17. recte *Mosellanus* scripsit. Nos epistolarum a Camerario Lib. III. fol. R. 2. a. sqq. editarum subscriptiones secuti *Metzlero* reposuimus. — 122) Hic quoque Camerarius ut cap. 16. *Belgico* scripsit, cui Carpzovius hoc tantum loco substituit *Belgio*, quod praetulerim. — 123) Non improbandum esse censet Krebsius Antibarb. p. 387. Malim tamen *edebantur* vel *emittebantur.* Supra cap. 4. Camerarius *in lucem prodire*, et infra cap. 26. *in lucem exire* dixit. — 124) Vereor, ut Latini sic loquantur. Praestiterit *mirificum*

studiorum actori scito et artificioso. Cumque [125]) eum admirabantur et magni faciebant et collaudabant omnes, qui a Musis alienos esse se perhiberi nollent, tum congratulabantur sibi eam felicitatem saeculi, in quam delata esset [126]) vita ipsorum. Quodsi quis ab Erasmo epistolam ad se elicere forte posset, illa vero ingens haberi gloria et hic praeclarus triumphus agi. Si autem accederet [127]) veluti cumulus colloquii et congressus Erasmici [128]), et ut ad eum alicui aditus pateret, tum demum sibi in terris is, cui hoc contigerat, beatus videri. Credebatur enim, ut erat, politioris doctrinae ille esse princeps, et in uno omnes contra adversationem [129]) barbariae satis opis praesidiique esse statuebant. Itaque interpellationes adventantium non nihil taedii et molestiae illi obiiciebant, praesertim scriptionibus diversis occupato [130]): quae tum a librariis [131]) magnopere expetebantur, cum nulli libri libris Erasmicis magis essent vendibiles. Venit igitur ad Erasmum Eobanus, apud Grudios tunc commorantem, et versibus compositam elegantissimis [132]) epistolam [133]) ad ipsum ex diversorio [134]) misit; quae cum Hodoeporico, quo describeretur iter illud, et aliis quibusdam postea edita fuit. Erasmus quidem, sive occupationibus aliis abstractus [135]), seu propter humilitatem adventus Eobanici [136]), qui cum uno comite pedes accessisset, sive in tanta salutantium frequentia, non ille quidem despexit Eobanum, sed neque tribuisse ei tantum iudicio suo, neque tam officiosus in ipsum fuisse existimabatur,

studium; praesertim quum *erga* sequatur. — 125) Rectius scribas: *et cum admirabantur eum et magni faciebant* — *tum congratulabantur* etc. — 126) Malim *incidisset.* Sic ipse Camerarius cap. 24. *quoniam aetas nostra in hunc fatalium mutationum articulum incidit.* Cic. Orat. cap. 12. *Quorum aetas in eorum tempora, quos nominavi, incidit.* — 127) Invito haud dubie Camerario typotheta posuit *accideret*, quod Carpzovius recte in *accederet* mutavit. Cic. Epp. ad Att. XVI, 3. *accedit magnus cumulus commendationis tuae.* — 128) Scribe *congressus cum Erasmo.* Recte Camerarius infra cap. 29. *congressum cum principe* posuit. Cic. Epp. ad Att. XI, 12. *si quis congressus fuerit mihi cum Caesare.* — 129) Bis legitur hoc vocabulum apud Tertull. adv. Gnost. cap. 5. *Quid aliud est adversatio idololatriae atque martyrii, quam mortis et vitae,* et de Pudic. cap. 15. *adversatio immunditiarum.* Apud classicos scriptores frustra quaeras. — 130) Latinos non *aliqua re*, sed *in aliqua re occupatum esse*, vulgo dixisse, monuit Krebsius Antibarb. p. 335. cui Poppo in libello *de Latinitate falso aut merito suspecta* p. 14. refragatur. Quo iure, ipse viderit. Liv. I, 59. *illis luctu occupatis*, et XXXIII, 40. *Occupatis maioribus suis rerum aliarum cura*; sed XXXIV, 6. *in luxuria et ornatu matronae occupatae erant.* Quae quidem diversa esse, nemo non videt. — 131) Praestat *bibliopolis*, quod vocabulum Plin. Epp. IX, 11. et Martial. IV, 72, 2. usurpaverunt. Nam *librarii* Romanis dicebantur, qui libros describebant et vendebant. Vid. Gell. V, 4. et XVIII, 4. atque Krebsii Antibarb. p. 291. — 132) Camerarius *elegantissimam* edidit, sed in Erratorum indice, id quod Carpzovium praeteriit, *elegantissimis* scribendum esse significavit. — 133) Vid. Addit. VII. — 134) Praestat *deversorio* scribere. Vid. Drakenborch. ad Liv. I, 51, 2. et 8. — 135) Malim *distentus* vel *impeditus*, ut Cicero pro Rosc. Am. cap. 8. Epp. ad Div. X, 28. XII, 30. et alibi loquitur. — 136) Hoc pro

quam pro sua humanitate et Eobani studio esse debuisset. Etiam postea laudavit Erasmus Eobanum remissius; non quod iniquior illius famae esset, sed quod non arbitraretur, ut opinor, eum indigere praedicatione sua, qui per se magnus esset, atque illos potius extollendos ornandosque, qui vel nullam, vel non magnam dignitatem parare possent ipsi sibi. Eobanus quidem et Erasmo diligenter et prolixe gratias egit, et nomen illius postea maximopere defendit, et cum a Laco [137]) Erasmus carperetur, auctor fuit, ut pro illo Erphordiani eruditi [138]) contra Lacum scriptis suis propugnarent.

XVI. Ad Eobanum de Erasmico itinere [139]) reversum tu me, Adame, ut recordari potes, cum adduxisses, et pro me contra illum, nescio quid libere tunc dicentem, de iis, quae ad eum fuerant falso delata, multa aliquanto etiam, quam ipse, liberius locutus esses; tum quidem aditum ad amicitiam ipsius, apud quem plurimum valeres, et cui unice esses carus, mihi patefecisti. Sed cum postea meum ingenium certius perspexisset Eobanus, sua sponte me ascivit in gregem suum, et pro captu et aetate mea plus honoris habuit mihi initio statim, quam deberetur, et quo diuturnior consuetudo et familiaritatis usus frequentior inter nos intercedebat, eo coniunctio artior [140]) et maior necessitudo exstitit, donec verae et deinceps inviolatae amicitiae societas, in consensione et concordia et similitudine perpetua studiorum, cum maxima caritate consummata fuit atque perfecta. Tam autem honorifici tunc fuere sermones Eobani de Erasmo, tam plena praedicatio, tanta amplificatio virtutis illius, ut nullius non animus cupiditate visendi Erasmum incenderetur: quidam etiam ut commoverentur ad idem iter statim ingrediendum et proficiscendum eo usque, ubi convenire possent Erasmum, qui in Belgico [141]) non uno loco maneret. Inter hos praecipui fuere iuvenes egregii et multis rebus ornati, Iustus Ionas et Caspar Schalbus. Quorum alter annis aliquot post mortuus fuit, tum etiam aetate grandior; Ionas autem ingenii bonitate et assiduitate studii, virtute doctrinaque et humanitate excellens, ea, quam sibi peperit, claritate nominis nunc etiam vivus fruitur, ita ut in dies ab illius pietate et sapientia existimationi amplissimae aliquid accedat. De quo minus dicendum nobis est, ne assentationis aliquam suspicionem incurramus [142]). Etiam Ioannes Draco

Eobani adventus poni nequit. — 137) Carpzovius vulgarem rationem secutus *Leo*, atque paullo post et cap. 17. *Leum* pro Anglico archiepiscopi illius Eboracensis nomine *Lee* posuit. — 138) Similiter Camerarius cap. 26. *eruditis secuturae aetatis* scripsit, vocabulo *eruditis* pro *hominibus eruditis* posito. Quod qui reprehendant, non audiendos esse docuit Dietericus in *Quaestionibus grammaticis*, operi: *Archiv für Philologie und Pädagogik*, Vol. VIII. inde a p. 486. inclusis, p. 496. — 139) Praestiterit *ex itinere ad Erasmum* scribere. De particula *de* vid. Handii Tursellin. Vol. II. p. 184. sq. — 140) Rectius *artior* pro *arctior* scripsi. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. Part. II. p. 449. — 141) Vid. ad Narrat. cap. 15. not. 122 — 142) Rectius scri-

Francus ad Erasmum tum profectus fuit, qui et ipse multis et variis difficultatibus exercitatus pietate et constantia celebre nomen consecutus est, cum literarum et artium bonarum scientia iam tum cederet nemini. Uterque horum summus amicus fuit Eobani. Sed Ionas facile inter omnes amicos Eobani principem locum tenebat. Itaque vivebant coniunctissime familiarissimeque, una crebro deambulabant, crebro domi confabulabantur, crebro etiam coenitabant [143].

XVII. Erat familiae cuiusdam religiosae (Georgiana nuncupabatur) curator Erphordiae vir humanissimus et valde prudens neque illiteratus, cui Henrico Urbano nomen. Is in Eobanico grege non ferebat postremas [144], ac saepe illum cum suis accipiebat, ut res erant ac tempora, satis prolixe [145]. Augustinianae autem Ioannes Langus theologus non modo amicum habebat Eobanum, sed doctrinae atque ingenii etiam admiratorem. Huic cum more scholastico auctoritas publice docendi sollemniter [146] conferretur, invitatus ad eam festivitatem [147] Lipsia advenit Petrus Mosellanus, et secum adduxit adolescentem tum suavissimis moribus et literarum eruditione [148] eximia praeditum, Petrum Suavenium. Apud hos perpetuo Eobanus fuit, quam diu Erphordiae manserunt, et cum de communibus studiis disserendo [149], tum hilariter una vivendo hoc est consecutus, ut ab his ad opinionem iam de ipsius excellenti ingenio et doctrina praestante conceptam summae humanitatis et singularis virtutis persuasio adiungeretur. Quorum alter is vir fuit, ut nemini fere est obscurum, qui sanctitate vitae et cognitione et scientia bonarum artium et literarum non facile ulli cederet, alter adolescens genere nobili, et quem natura sua ad magnificos conatus duceret, difficile et arduum virtutis iter ingressus ad dignitatem et opulentiam ma-

psit Camerarius cap. 12. *ut in aliquorum interdum indignationem incurreret.* Sic Cicero Fin. I, 1. *in varias reprehensiones incurrere*, et Off. I, 42. *in odia hominum incurrere* dixit. Praepositio enim ubique addenda. Vid. Krebsii Antibarb. p. 261. — 143) Vocabulum *crebro* frequentativo *coenitabant* additum, ut *non nunquam* Sueton. Octav. cap. 76. *non nunquam vel ante initum, vel post dimissum convivium solus coenitabat*, id est *coenabat*. Cf. Ruddimanni Instit. Gramm. Lat. Part. I. p. 290. sq. — 144) Sic Cic. Brut. cap. 49. *primas ferre*, et Horat. Sat. I, 9, 46. *secundas ferre* dixerunt. — 145) Cf. Terent. Eunuch. V, 9, 52. *Accipit hominem nemo melius prorsus, neque prolixius*, ubi Bentleius *hominem nemo* in *homo nemo*, et *prorsus* in *prorsum* mutavit. Horat. Sat. II, 8, 67. *ut ego accipiar laute.* — 146) Camerarius et Carpzovius scripserunt *solenniter*, cui *sollemniter* substitui. Vid. nostras Adnotatt. ad Rabirii reliquias p. 235. — 147) Immo *ad ea sollemnia.* Nam non solum *festivitas*, quod nullo pacto ferendum, sed etiam *sollemnitas* a Lamprid. Alex. Sev. cap. 63. et Gell. II, 24. aliisque sic usurpari coepta sunt. Vid. Krebsii Antibarb. p. 221. et 454. — 148) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 18. — 149) Carpzovius nescio quo errore ductus haec ita interpolavit, ut *de omnibus studiis disserendo* ederet. Quod quam ineptum et absurdum sit, non opus est, ut doceam. De locutione *disserere de aliqua re* vid. ad Narrat. cap. 1. not. 8. Paullo post *ut ab iis* pro *ut ab his* scribere malim. —

ximam pervenit. Cum Georgio Spalatino, sanctissimo et politissimo viro, veteris necessitudinis singularis Eobano usus intercedebat, ut et cum aliis quibusdam, de quibus mihi ignotis quae narrarem non habui. Habebat inter suos et popularem, quem valde diligebat, Ioannem Ortum, integerrimum et spectatissimae fidei hominem, et perquam eruditum et festivum iuvenem, Nosenum Silesium, cum quibus libenter et multum versabatur. Christophorus Hacus, qui melicis carminibus faciendis praestabat aequalibus omnibus, et Valentinus Capella, iuvenis ingeniosissimus et eruditissimus, una cum Groningo et Eccilio, asseclae erant Eobanici [150]), et ad se saepe numero eum abducebant. Sed ex omnibus familiarissime complectebatur Martinum Hunum, ad quem medicinae encomium [151]), in versus de Erasmica oratione translatum, conscripsit, et affectione [152]) praecipua in prima adolescentia cognitum constantissime diligebat Petreium Aperbachum Erphordiensem, iuvenem ingenii cultu et eruditione doctrinae [153]) excellentem, sed aegrum pedibus et valetudine adversa perpetuo laborantem, qua impeditus eo, quo natura studioque impellebatur, progredi non potuit. Hunc, cum per iocum apud suos se regem faceret, *Ducem* ipse solebat appellare: significans proximum locum a se quasi in gubernatione regni musici [154]) illi deberi. Sed hoc unde natum sit, ut *Regem* se nominaret, et ipse ostendit carmine quodam [155]), et ego breviter exponam. Optimus et doctissimus vir Ioannes Capnio in quadam ad ipsum epistola alludens ad Hessi nomen *ἑσσῆνα* eum appellaverat, et versum adduxerat Callimachi de Iove, quem hic negat Hessena deorum sorte esse factum, sed virtute et praestantia sua [156]). Ex eo in sodalitiis cum Rex *Hessus* vocitaretur, hoc ioco postea utebatur, ut se regem, et alios regni proceres faceret. Nullo enim non modo cruento, sed ne dentato [157]) quidem dicto ludere Eobanus solebat. Neque reperietur inter omnia scripta ipsius ullum, quo laedatur fama, aut nomen proscindatur alterius: nisi quod nescio quid in

150) Mallem scripsisset *assectatores erant Eobani.* Cf. Plin. Epp. III; 11. et Gell. V, 10. *auditor assectatorque Protagorae.* Vid. Doederlini Synonym. Lat. Tom. IV. p. 204. sq. et Krebsii Antibarb. p. 116. — 151) Vid. Addit. VIII. — 152) Sic Gell. X, 18. *ultra affectionis humanae fidem amare dixit.* Praestiterit tamen *benevolentia.* Vid. Krebsii Antibarb. p. 98. coll. Boetticheri Lex. Tacit. p. 30. — 153) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 18. — 154) Vid ad Narrat. cap. 10. not. 88. — 155) Vid. Addit. IX. — 156) Hymn. in Iovem vs. 66. *Οὔ σε θεῶν ἑσσῆνα πάλοι θέσαν, Non te deorum regem sortes constituerunt.* *Carpzov.* Vid. Etymolog. Magn. p. 383. ed. Sylburg. sive p. 347. ed. Lips. — 157) Malim *mordaci* vel *aculeato.* Ovid. Trist. II, 563. *Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam.* Cic. Epp. ad Att. XIV, 18. *satis aculeatas ad Dolabellam literas dedi.* Vereor enim, ut *dentatus* coll. Cic. pro Balb. cap. 26. Horat. Od. IV, 3, 16. Epod. VI, 15. Epp. I, 18, 82. et Phaedr. IV, 8, 1 ita dici queat. Nec quod praecedit *cruento* satis placet. Tacit. Annal. III, 44. *exstitisse tandem viros, qui cruentas*

Laeum [158]) indignationis evomuit suae, et quendam poeticantem [159]) theologum aliquanto immansuetius [160]) retudit elegia quadam. Cum enim Martinus Lutherus accersitus in Vangionas, ubi se coram imperatore Carolo V, qui primum ibi conventum habere instituisset, sistere deberet [161]), Erphordiam illo itinere forte transiret, Eobanus et ei cum Croto Rubiano, qui tum administrationi academicae [162]) praeerat, aliisque compluribus honoratis viris ac iuvenibus eruditis obviam processit, et biduo, quo Erphordiae Lutherus mansit, cum eo suavissime versatus fuit [163]). Cumque placuisset illas res et actiones describi, interque elaborationem incidisset in manus ipsius libellus editus ab Emsero, quo Lutherum ille maledictis incesseret, et praepositi essent versus scripto perridiculi et mali [164]), commotus fuit iam incitatus musico impetu [165]) animus Eobani, ut eum, qui poeta esse vellet, theologum tum paulo gravius acciperet et tractaret inclementius. Haec sunt, ac praeterea nihil, quae vel ioco vel serio ad alterum exagitandum scripsit aut dixit [166]). Etiam a Philippo Melanchthone aliquando rogatus, ut optimorum versuum pulcherrima opera elaboraret et componeret rem deterrimam et turpissimam, et sibi hanc operam daret, primum miratus et requirens, quidnam rei res illa esset [167])? cum audiisset [168]), Calumniae descriptionem a Philippo expeti, se quidem facere non posse dixit, quin ei gratificaretur [169]); itaque hunc laborem se esse suscepturum, quamvis argumentum esset alienum a moribus et ingenio suo, qui neque ioco, neque serio, neque monendi aut praecipiendi etiam causa soleret insectationes aut reprehensiones usurpare. Usque adeo a toto hoc genere inquirendi

epistolas armis cohiberent. — 158) Carpzovius hic quoque *Leum* scripsit. Vid. ad Narrat. cap. 15. not. 137. — 159) Quum verbum *poeticare* sive *poeticari* nusquam reperiatur, scribe *poetantem.* Ennius apud Priscian. VIII, 14. Vol. I. p. 417. ed. Krehl. *Nunquam poetor, nisi podager.* Verus imperator inter Frontonis epistolas ad illum I, 9. Part. I. p. 102. ed. Francof. *priusquam poetare incipio, pausam tecum facio.* Ausonius in Epist. Idyllio VI. praeposita: *Mirandi stuporem transtuli ad ineptiam poetandi.* Eodem verbo usus est Eobanus in Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. I. 6. b. fol. M. 3. a. et fol. O. 3. a. — 160) Vocabulum *immansuetius*, cui *asperius* substituas, nusquam adverbii loco ponitur. Infra Camerarius *tractaret inclementius* scripsit. — 161) Praestiterit *iuberetur* vel *iussus erat.* Vid. Doederlini Synonym. Lat. Tom. V. p. 324. et Krebsii Antibarb. p. 168. sq. — 162) Scribe *administrationi academiae.* Similiter Camerarius cap. 24. parum accurate *gubernationis domesticae*, sed cap. 25. recte *administratio scholae* posuit. — 163) Vid. Addit. X. — 164) Mallem scripsisset mutato verborum ordine: *et praepositi essent scripto versus perridiculi et mali.* — 165) Id est *poetico impetu.* Ovid. Epp. ex Pont. IV, 2, 25. *Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit.* Vid. ad Narrat. cap. 10. not. 88. — 166) Adde carmen in Zoilum, bonarum artium detractorem, quod infra subiecimus. — 167) Praestiterit *quidnam rei illud esset?* Latini enim dicunt *quid hoc rei est?* — 168) Sic Camerarius. Carpzovius edidit *audisset*, quod sane usitatius est. Vid. Cic. Orat. cap. 47. et Quinctil. Instit. Orat. I, 6, 17. coll. Ruddimanni Instit. Gramm. Lat. Part. I. pag. 326. — 169) Immo *gratificetur.* Paullo post *esset* in *sit*, et *soleret*

in aliquos, et vitia aliorum notandi ac [170]) exagitandi, animus et voluntas Eobani abhorrebat. Nam post multos annos, cum una Norimbergae viveremus, quid consilii agitare coeperit, cum ad se, tum me [171]) defendendum, quod uterque indigne tractari videretur, a quo minime deberet, quoniam repressus conatus fuit, silentio tegam, cum nostra, tum eorum, ad quos illa res pertinet, causa.

XVIII. Sed ut redeam ad institutum, Eobanus in hoc sodalitio, quod augebant Iustus Menius [172]), cui neque studio veritatis et bonarum artium, neque laude officii facile reperires quem posses [173]) anteponere, et is, cum quo ego fraterno amore coniungebar, contubernalis meus Ioannes Francus, qui *Portunus* a nobis cognominabatur, et Megabachus [174]), neque corpore, neque ingenio admodum dissimilis Eobano; item Iacobus Micyllus [175]), et Antonius, cui *Musae* Eobanus cognomen fecit, vir postea in re ecclesiastica illustris, et pueri adhuc Valentinus Paceus, cuius nunc etiam pietas, doctrina, eruditio celebris est, et Danielus [176]) Stibarus, quo neminem cognovi unquam flagrantiorem cupiditate discendi, cum innumerabilia ad perseverandum illi impedimenta obiicerentur, quique longius dignitate progressus voluntatem tamen erga studia et studiosos bonarum artium constantissime servat, et alii complures, quibus incensis optimarum artium studiis referta erat Erphordiana academia: in hoc igitur coetu ille tum virtute, eruditione, facultate, scientia literarum, dignitate excellens optimos auctores linguae Latinae [177]) explicando operam navabat discere volentibus. Alliciebat autem fama nominis Eobanici invitabatque permultos, ut in academiam Erphordianam vel discendi causa migrarent, vel ad visendum saltem Eobanum excurrerent. Inter quos venit eo anno, quo post congressum celebrem illum Lipsicum Martini Lutheri [178]) et

in *soleat* mutandum videtur. — 170) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 13. — 171) Vid. ad Narrat. cap. 4. not. 33. — 172) In Camerarii editione *Moenius* legitur, quod a typotheta, licet Erhardus in Encyclopaediae ab Erschio et Grubero editae Sect. II. Part. VII. p. 210. tacite probaverit, pro *Maenius* positum esse videtur. Carpzovius tamen rectius, ut opinor, scripsit *Menius*, quod ipse Camerarius non solum Narrat. de vita Phil. Melanchthonis cap. 109. sed etiam cum Eobano et Mutiano in epistolis saepissime usurpavit. — 173) Utique praestat *reperias, quem possis* scribere. — 174) Camerarius scripsit *Megobachus*, quod Carpzovius retinuit. Eobanus in Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. L. 1. a. *Magebucchium*, et fol. P. 1. b. et alibi *Megabachum* appellavit: ipse autem epistolae ad Camerarium datae, quae Lib. III. fol. R. 8. b. et fol. S. 1. a. legitur, nomen *Ioannes Megabachus* subscripsit. Hoc praeferendum esse existimavi. — 175) Camerarius hic quoque ut cap. 32. scripsit *Mycillus*, cui Carpzovius recte *Micyllus* substituit. In huius nominis scriptura Camerarius sibi non constitit. — 176) In Camerarii editione legitur *D. Stibarus*, quod Carpzovius in *Daniel Stibarus* mutavit. Nos, quum Camerarius ipse Narrat. de vita Phil. Melanchthonis cap. 72. *Danielum Stibarum* et cap. 101. *Danieli Stibari* atque Epp. Lib. I. fol. X. 7. a. et Lib III. fol. T. 3. a. *Danielo Stibaro* scripserit, *Danielus* reposuimus. — 177) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 16. — 178) Camerarius hic perperam *M. Luteri*, sed cap.

Ioannis Eccii (qui auctore illustrissimo principe Georgio ad controversandum [179]) publice Lipsiam venerant) pestilentiae contagio Lipsiae infesta fuit [180]): tum igitur ad nos venit aequalis, et qui fuisset aliquando condiscipulus et contubernalis meus, Sebaldus Munsterus Noricus, qui postea summos honores studiorum consecutus iuris publici doctrinae praefuit Vuitebergae [181]). Cumque pietate, et integritate, et probitate, fide virtuteque excelleret, saepe nominis Eobanici memoriam renovare honorifica mentione et praedicare solebat, se unum omnium illum cognovisse cum eruditione literarum [182]) praestantissimum, tum minime opinionis aliorum cupidum, tum vero ab omni fuco et simulatione remotissimum, et eum, qui neminem ab usu humanitatis suae excluderet.

XIX. Sed Eobani, quo tempore quasi decurrens spatium suum aetas vigebat, et incitabatur studium, eo haec studia, bonarum, inquam, literarum et humanitatis, malignius augebantur, horumque magistri atque doctores negligentius sublevabantur ab iis, quibus solis ea res tum in manibus erat. Ac Maternus quidem, insignis illa tempestate Erphordiae theologus, non nihil contulit ad culturam harum. Sed ad quem Erphordiam me primum contuli, Georgius Paetus Vorhemius [183]), vir is, de cuius pietate et praestantia si commemorare vellem, quae utrique nostrum, Adame, nota sunt, iam novum argumentum oriretur, et aliud scriptum texendum esset [184]). Ille vero tum quicquid potuit clam palamve suis et aliorum viribus, facultatibus, gratia, auctoritate facere et moliri, in eo neque labori et studio pepercit, neque invidiam fugit, neque odium pertimuit, quo minus ea ageret, consuleret, reperiret, institueret, quibus professio optimarum literarum atque artium undique fulciretur atque sustentaretur. Qui si diutius vitam conservare potuisset, (dicam fortasse benevolentia erga illum copiosius, sed vere me dicturum esse existimo) et staret illa schola, et dignitatem ac nomen retineret, quae quam ruinam fe-

16. recte *Martinus Lutherus* scripsit. Carpzovius errorem correxit scribens *Mart. Lutheri.* — 179) Ciceronem hoc verbum usurpasse testatur Priscian. VIII, 7. Vol. I. p. 385. sq. ed. Krehl. „*Verso* similiter activum, ex quo *controversor* deponens. Cicero in Protagora: *Nunc a vobis, o Protagora et Socrate, postulo, ut de isto concedatis alter alteri, et inter vos de huiuscemodi rebus controversemini, non concertetis.*" — 180) Cf. Baumgarten-Crusii libellum *de Georgii Fabricii Chemnicensis, Rectoris Afrani, vita et scriptis*, Part. I. p. 100. sq. ubi Petrum Mosellanum, quum academia Lipsiensis a. 1519. propter pestilentiam in urbem Misenam esset translata, in eadem domo, quae a. 1558. Fabricio, populari nostro, et a. 1814. nobis assignata est, per aliquod tempus deversatum esse docuit. — 181) Sic Camerarius, qui Epp. Lib. I. fol. T. 5. b. *Vuittenbergae* scripsit. Carpzovius *Wittenbergae* edidit. — 182) Vid. ad. Narrat. cap. 2. not. 18. — 183) Camerarius scripsit *Vorhemius*, cui Carpzovius recte *Vorchemius*, quod ad nomen *Forchheim* propius accedit, substituisse videtur. Eobanus Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. P. 6. a. et alibi *Vorhemium*, sed fol. P. 7. a. *Vorchemium* appellavit. Vid. ad Narrat. cap. 7. not. 65. — 184) Cic. Epp. ad Q. Fr. III, 5. *texere opus*, et

cerit, non possum sine maximo dolore cogitare. Erat Crotus, cuius paulo ante feci mentionem, ab antiquo notus [185]) Eobano, vir doctus et egregius, sed cum ingenio vario, tum mutabili sententia. Is magistratu [186]) functus regendi academiam Fuldam primum concessit, et in Borussiam postea discessit. Indeque reversus alienavit a se multorum studia, nescio qua de causa, vel nolo potius perscribere, ne, quem viventem colui, ei mortuo obtrectare videar. Degebat tum, ut significavimus, in familia Augustiniana cognitione utriusque linguae instructus et varia ac multiplice [187]) doctrina praeditus Ioannes Langus, cui Eobanus fuit amicissimus. Hic postea in confusione omnium [188]) solus sua diligentia, studio, industria et ecclesiasticam rem et scholasticam sustinuit Erphordiae, una cum Georgio Sturciade, usque ad annum fatalem, non modo ipsis, sed Germaniae, quo uterque sibi quidem neque praemature [189]), neque infeliciter, sed rei publicae intempestive et luctuose decessit.

XX. Hic Georgius Sturciades singulari me amore, cum primum Erphordiam ex Italia reversus [190]) venisset, complexus fuit, ut a natura ipsa nos quasi copulari appareret, meque recepit in aedes suas, quas de soceri Eobani heredibus emerat. Et multis postea beneficiis auxit ornavitque iudicio suo, cum tantum tribueret tam iis, quae a me disputabantur, quam commendationibus et testimoniis, ut me non vereretur saepe gravissimarum rerum auctorem nominare, et nihil unquam de altero petenti negaverit, neque, si quid a me affirmaretur, dubitando reddiderit incertum. Cum hoc designatus fui et mox renuntiatus decimus nonus [191]), secundo loco, ut opinor [192]), Magister optimarum artium, declarante iudicium de nobis eorum, qui suffragia tulerant, Eobano Hesso, qui tum luculentam habuit orationem, ut fert mos academiarum. In renuntiatione Sturciades non affuit, revocatus in patriam [193]) iis negotiis, quae in aliud tempus differri aut negligi non deberent, neque possent. Petiverat una hunc honorem Antonius Niger, laudatissimus iuvenis, cuius nunc splendor nominis et famae claritas multis nationibus innotuit. Sed huic quorundam tum

Senec. Epist. 114. *contexere librum* dixerunt. — 185) Vereor, ut Latini ita loquantur. Propterea malim *ex longo tempore notus*. Krebsius Antibarb. p. 110. *ab antiquo* pro *antiquitus* poni, recte negavit. — 186) Mallem scripsisset *munere*, quum *magistratus regendi academiam* a Latina consuetudine abhorrere videatur. — 187) Praestiterit *multiplici*, quod Camerarius cap. 29. posuit. — 188) Vide, ne rectius *in confusione rerum omnium* scribatur. Infra cap. 32. Camerarius *confusionem* simpliciter posuit. — 189) Rarius est vocabulum. Plaut. Mostell. II, 2, 68. *quia praemature vita careo*. Cf. Gell. X, 11. — 190) Inexcusabili Carpzovii negligentia *reversus* in *rursus* abiit. — 191) Scribe *undevicesimus*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 14. — 192) Sic Camerarius scripsit. Carpzovius, verborum ordine non male mutato, *secundo, ut opinor, loco* edidit. — 193) In oppidum, quod *Mons Catharinae*, notiore nomine *Buchholz* vocatur, ad unum circiter lapidem distans ab urbe Annaber-

ieiuna malevolentia cum [194]) maxima ipsius gloria obstitit, neque quicquam causae reperiebatur, quam quod bonarum artium et studiorum humanitatis avidior, et in his colendis fuisset liberior. Aliam igitur ingressus viam nos petitores antevertit, et frementibus invidis consecutus id fuit, quod hi negarant, aliquanto quidem, ut ita dicam, pomposius [195]) et splendidius, quam ipsi conferre potuissent. Hic annus fuit Christi Iesu CIↃIↃXXI incipiens [196]). Iunxit autem amicitiam cum Eobano Sturciades, cum Erphordiam venisset, quam postea sanctissime et fidelissime conservavit atque coluit. Sed tum in Italiam rediit, et abduxit secum Euricium Cordum, qui adiutus a Sturciade auctoritate publica ibidem Doctor Medicinae renuntiatus fuit. Eo anno et nos Erphordiam reliquimus, iam dissidiis et tumultuatione quatefactam [197]) et pestilentiae lue infectam. Reversus autem ex Italia denuo Sturciades, quem se erga Eobanum gesserit, de Eobanicis scriptis potest cognosci [198]). Is enim erat Eobanus, qui merita aliorum non modo tegendo non obliterare, sed praedicando etiam amplificare soleret. Quamvis autem hae res fortasse exiles et parvae esse videantur, tamen de Eobani et Sturciadae usu cum caritatis singularis, tum fidei, liberalitatis, memoriae exempla pulcherrima relicta esse statuo.

XXI. Etsi autem multis de causis abhorret animus ab indicatione [199]) fortunae Eobanicae [200]), quae ingenio, doctrina, virtute, studio illius, revocanti forte ad humanae rem [201]) intelligentiae rationes, indigna fuisse videatur, tamen postulat fides mea, ut non praetereatur silentio id, quod cum verum sit, tum apud prudentes diminuere [202]) existimationem viri nequeat [203]). Ut enim alia innumerabilia cum disputata sapienter, tum gesta praeclare, ad paupertatis gloriam et igno-

ga, quam Eobanus quoque a. 1536. comite eodem Sturtiade invisit et carmine celebravit, quod in Addit. XVIII. subiicere placuit. — 194) Carpzovius de horum verborum sententia securus praepositionem *cum* in coniunctionem *quum* mutavit et perperam, nisi fallor, ad praecedens *tum* retulit. Latinos autem, ut taceam, Camerarium, si hoc voluisset, *tum quorundam malevolentia* scripturum fuisse, non *tum, quum*, sed *quum, tum* dicere, inter omnes constat. Vid. Stuerenburg. ad Cic. pro Arch. cap. 12. p. 163. sqq. — 195) Scribe *honorificentius* vel *magnificentius*, omissis verbis: *ut ita dicam*. Nam vocabula *pomposus* et *pompose* non nisi apud Sidon. Epp. IV, 9. et IX, 9. leguntur. — 196) Malim: *Haec ineunte anno p. C. n.* 1521. *acta;* praesertim quum *Iesu Christi* et *Christi Iesu* a Camerario non hic tantum, sed etiam cap. 5. 13. 15. 21. 25. et 28. ubi *Christi* legitur, pro *p. C. n.* positum displiceat. — 197) Longe rarissima sunt vocabula *tumultuatio* et *quatefacere*, quorum alterum Liv. XXXVIII, 2. alterum Cic. Epp. ad Brut. I, 10. reperitur. — 198) Scribe: *ex Eobanicis scriptis potest cognosci.* Ita enim *de aliqua re cognoscere* Latini non dicunt. Vid. Handii Tursellin. Vol. II. p. 209. — 199) Pro *ab indicatione*, quod ferri nequit, *a commemoratione* reponere malim. Vid. ad Narrat. cap. 5. not. 34. — 200) Praestiterit *Eobani.* — 201) Hoc vocabulum cum participio *revocanti* iungendum mediae sententiae non satis apte interpositum videtur. — 202) Praestat *deminuere.* Vid. ad Narrat. cap. 13. not. 111. — 203) Syntaxis Latina postulat, ut *nequit* pro

miniam divitiarum, taceam: quid Solonis, cui in proclivi esset principatu civitatis florentis opibus ac viris potiri, si vellet [204]), elegia canat [205]), videamus, de nostra quidem, si placet, conversione [206]). Sic igitur ille [207]):

Divitiis auget multos Fortuna scelestos [208]),
Atque bonos nulla commoditate levat.
Nos tamen haud ducemus opes virtute priores,
Haec est certa, illas sors regit instabilis.

Cum igitur Eobani eo ferme tempore admodum in angustum cogerentur copiae, ut ait Terentius [209]), et publicus respectus penitus illi subtraheretur, privati pauci [210]), inter quos principem locum tenebat Sturciades, sublevarent hominem doctum probumque et innocentem, et, quod erat caput, amicum, deliberantibus his de salute propemodum cum ipsius, tum liberum, placuit quaestuosae eum arti cuipiam operam dare, non iam famae amplificandae causa, sed ne fame laborare mox cogeretur [211]). Atque auctores illi fuere amici, ut medicinam disceret, quoniam priores conatus forenses parum successissent. Hoc ille fretus potissimum ope et adiumentis a Sturciade [212]) cupidissime amplexus fuit, et statim libros comparavit, et illas res studio maximo coepit cognoscere. Etsi autem ad factitandam artem progressus non fuit, hoc tamen studium, quam diu vixit, coluit, et librorum de illa compositorum lectione admodum fuit delectatus. Tum igitur Eobanus, cum propemodum a solo Sturciade retineretur Erphordiae, ibi haesit, ut potuit, conflictatus cum multis adversis, ad annum usque Iesu

nequeat ponatur. Vid. quos citavit Moserus ad Cic. de Rep. VI, 15. *iustitiam cole et pietatem: quae cum sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est.* — 204) Immo *si voluisset.* — 205) Malim *doceat.* Carmen enim non *canit*, sed *canitur.* — 206) Vocabulum *conversio*, cui vulgo barbarum *versio* praeferunt, Quinctil. Instit. Orat. X, 5, 4. reperitur. Vid. Krebsii Antibarb. p. 160. et 504. atque ad Narrat. cap. 22. not. 222. — 207) Versus Solonis, qui vulgo in Theognidis elegis inde a vs. 315. leguntur, exstant apud Plutarchum Solon. cap. 3.

Πολλοὶ γὰρ πλουτεῦσι κακοί, ἀγαθοὶ δὲ πένονται·
Ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα
Τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον, ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεί,
Χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Quos Hugo Grotius post Camerarium ita transtulit in Latinum:

Saepe mali dites, et fortibus instat egestas:
At mihi virtutis munera divitiis
Permutare nefas. Manet usque immobilis illa:
At fluxas nunc hic, nunc habet alter opes.

De scripturae diversitate vid. Bekkeri Adnotatt. ad Theognid. p. 86. — 208) Vid. quae de neglecta positione debili ad Eobani Carm. de pugna studentum Erphordiensium vs. 9. adnotavimus. — 209) Heaut. IV, 2, 2. *Ita hac re in angustum oppido nunc meae coguntur copiae.* Similiter Cic. Lael. cap. 5. *ita contracta res est et adducta in angustum.* — 210) Carpzovius *et privati pauci* edidit, adiecta copula, quam Camerario auctore omisimus. — 211) Camerarius in vocabulis *famae* et *fame* lusum quaesivisse videtur. — 212) Id est *ope et adiumentis a Sturtiade oblatis.* Vid. Handii Tursellin. Vol. I. p.

Christi cIↃIↃXXVI, quo, auctore et conciliatore Philippo Melanchthone, qui et amabat et admirabatur et magni faciebat et venerabatur Eobanum eximium in modum, Norimbergam venit [213]), ab illa civitate accersitus perquam benigne. In qua una cum illo ego et Michaelus [214]) Rotingus viximus annis circiter septem, et eas literas atque artes, quas didiceramus, docuimus, sine specie quidem dignitatis, sed cum aliquo certe non vulgaris commoditatis fructu; id quod ab aliis iam statui et dici par fuerit; praesertim cum rationes nostrae, quasi gestae provinciae, relatae sint et exstent [215]).

XXII. Praeerant tum Noricis ludis omnes optimi et doctissimi viri [216]), sed duo duobus primis, Ioannes Chezimanus [217]), natus ad puerilem institutionem, qui illi civitati moriens ingens sui desiderium reliquit, et Sebaldus Heidena, qui, cum haec scriberemus, suo adhuc loco laudabiliter curabat [218]). Cum his universis [219]) Eobano et nobis iucundus consuetudinis usus intercedebat. Hoc tempore, quo Norimbergae Eobanus mansit, multa, quae ante edita fuerant, recognovit et iterum edidit, multa nova fecit carmina, quae omnia sunt in medio. Attentius etiam tum, quam ante, Graecos auctores [220]) legere coepit: cumque ei imprimis Theocriti Bucolica arriderent [221]), in illa convertenda Latine [222]) incubuit. Quem conatum omnibus ego rebus adiuvare studebam. Nam initio multa obiiciebantur illi, quibus impetus animi retunderentur: ipse vero, si quid non celeriter procedebat, haud consueverat urgere. Nihil faciebat omnino anxie aut sollicite, sed tantum

35. sq. — 213) Vid. Addit. XI. — 214) Camerarius hic *Micaelus*, sed cap. 24. *Michaelus* scripsit, quod, quum etiam in eiusdem Narrat. de vita Phil. Melanchthonis cap. 31. legatur, praeferendum existimavi. Carpzovius utroque loco *Micaelus* edidit. Eobanus etiam in Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. I. 6. b. fol. K. 5. a. et fol. K. 7. b. *Micaelum*, sed fol. L. 3. a. et fol. L. 4. b. cum Phil. Melanchthone in epistolis et Micyllo Epiced. Eobani vs. 202. *Micalum*, et fol. F. 5. a. *Mycalum* appellavit. — 215) Cicero Orat. in Pis. cap. 25. Caesarem ita alloquitur: *Rationes ad aerarium retuli continuo, sicut tua lex iubebat.* Praeterea cf. Cic. Epp. ad Div. V, 20. — 216) Haec vertenda forent: *alle, auch die besten und gelehrtesten Männer.* Vid. Krebsii Antibarb. p. 338. sq. Propterea vocabulum *omnes* inducere malim, quam *optimi quique et doctissimi viri* pro *optimus quisque et doctissimus* scribere. Vid. quae hac de re exposuit Haasius ad Reisigii Gramm. Lat. not. 362. p. 351. sq. quem tamen Dietericus in *Quaestionibus grammaticis* p. 492. quum Cic. Lael. cap. 10. *optimis quibusque* legatur, in eo errasse docuit, quod veteres hoc usu prorsus abstinuisse declaraverit. Similiter quidem Horat. Sat. I, 3, 13. *Omnia magna loquens*, id est *lauter Erhabnes*, ut Vossius vertit. Proprie tamen *alles Grosse* significat. — 217) Ab Eobano Silvar. Lib. IX. p. 625. in carminis inscriptione *Catzmannus*, et in ipso carmine *Keczmannus* appellatur. — 218) De verbo *curare* absolute posito vid. Kritz. ad Sallust. Cat. cap. 59, 3. et Boetticheri Lex. Tacit. p. 138. — 219) Immo *omnibus*. Nam *universi* opponuntur *singulis*, quod ab hoc loco alienum est. Vid. Doederlini Synonym. Lat. Tom. IV. p. 354. sq. — 220) Immo *scriptores*. Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 16. — 221) Id est *placerent*. Hunc huius verbi usum recte defendit Krebsius Antibarb. p. 115. ubi *Cic. Att.* XIII, 21. pro *Cic. Att.* V, 9. scribendum. — 222) Scribe *convertenda in Latinum*, vel

sequebatur ductum naturae et ingenii incitationem. Itaque abiecta semel non fere solebat resumere, neque interrupta contexere. Neque non animadverti a lectore attento hoc facile potest, quod continuo cursu aequabiliter defluant Eobanica omnia, neque uspiam quasi ad considerationis sollicitae obices refringantur [223]). Itaque noster Milichius dicere solebat: Eobanum solum omnium, quos novisset, simul facere versus et scribere, cum alii prius commentando modo has, modo illas partes absolverent, et ita tandem scriberent aliquid, alii prius scriberent, et fingendo atque corrigendo demum facerent aliquid qualiumcunque versuum. Quae cum ita se habere experirer, non nihil negotii fiebat mihi, etiam calliditatis aliquid usurpandum erat, ne Eobanus voluntatem perseverandi in traductione [224]) Theocriti deponeret, neve ardor animi illius restingueretur: ita enim profecto opus illud luculentissimum intercidisset [225]), quod absolutum et celebrat ingenium atque facultatem Eobani, et studiosis bonarum artium ad fructum eruditionis percipiendum propositum est. In quo perficiendo et cohortationem et operam meam aliquid praestitisse laetor.

XXIII. Cum autem ita peractum sit [226]) illud prope septem annorum tempus, quod consumsit Norimbergae Eobanus, ut me ille valde diligeret, et ego eum, ut par erat, observarem: quasi perpetuo una nos futuros esse certum esset, ita in securitate quadam postea sensi fastidium tacite obrepsisse mihi eius boni, quod haberem in manibus. Ac nunc quoque intelligo, in aetatis iuvenilis levitate vel fuisse sensum praesentis felicitatis meum hebetiorem, vel hanc certe minoris me fecisse, quam debuerim. Itaque cum iam carendum esset consuetudine Eobani, tum magis cognovi, quantum iucunditatis mihi esset ereptum, quam copiam oblatae commoditatis animadverteram, dum frui illa concedebatur. Etsi autem non ea, qua par fuit, cupiditate videor mihi persecutus esse occasiones familiaritatis et assidui usus amicitiae Eobani, et multis in partibus fuisse negligentior, tamen quam diu in illa urbe simul viximus, nihil ego sine illo in studiis conandum moliendumve aut edendum duxi, nihil ipse suscepit, de quo non mecum communicaret, magis quod coniunctionis nostrae suavitate delectaretur, quam quod opera ei nostra esset opus. Etsi ille quidem mihi tantum tribuebat, quantum ipsius epistolae et alia scripta loquuntur. Inter quae unus totus liber carminum mihi ab illo dicatus et relatus in Silvas eius [227]) ostendit,

Latine reddenda. Vid. ad Narrat. cap. 21. not. 206. — 223) Camerarius scripsit *obiices*, quod Carpzovius recte in *obices* mutavit. Illud enim poetae usurpare solent. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. Part. I. p. 421. Ceterum mira est locutio *ad considerationis obices refringi.* — 224) Neque *traducere* pro *transferre*, neque *traductio* pro *translatione* ponitur. Vid. Krebsii Antibarb. p. 480. — 225) Vid. Addit. XII. — 226) Exspectes *peractum esset.* — 227) Vid. Addit. XIII. — 228) Camerarium, qui cap. 32. *Guili-*

et quantum me (utinam meo merito) dilexerit, et quam honorifice de me senserit, et quanti fecerit necessitudinem nostram.

XXIV. Habebat autem complures alios, a quibus colebatur, et cum quibus hilariter vivere, et apud quos libenter esse consueverat. Ex quibus unus vicinus ipsius Vilhelmus [228]) musicus assiduus comes erat Eobani, quotiescunque hoc agebat, ut vel prodeambulando [229]), vel ad sodalitium se conferendo curis animum relaxaret, et studiorum defatigationi repararet. Thomae Venatorii consortium [230]) erat Eobano pergratum. Nam et simplex in homine libertas huic probabatur, et communitas studiorum placebat. Thomas enim et ingenio acri erat, et industria studii sui opera doctrinae edebat luculenta. Ex ceteris, qui doctrinae sacrae praeerant, et venerabatur et diligebat maxime Vincilaum [231]) Lincum, cum propter pietatem et studium veritatis, tum humanitatem atque candorem [232]), quae in illo viro omnia erant eximia. Vincentius autem Obsopaeus, non diu postquam nos venissemus Norimbergam, discessit in viciniam, ubi munificentia marchionis Georgii, illustrissimi principis, et ipse otium in studio literarum traducendum nactus fuit. Bilibaldo Pircamero [233]) valetudo obstabat, quo minus crebro ad se accerseret et invitaret Eobanum. Hieronymus autem Baumgertnerus [234]) ex senatoribus, ut in studiis optimarum disciplinarum et artium educatus, quam humanitatem (quae erat summa) cum natura ei contulerat, tum addiderat institutio, ea Eobanum complectebatur omnium cura et respectu dignissimum, et cui sublevatione [235]) et auxilio esset interdum opus: quod neque peritus gubernationis domesticae [236]), neque impendens ullam cogitationem rei familiari vel stabiliendae vel augendae, neque sollicitus de patrimonio constituendo saepe numero plagam acciperet [237]) vel ab iis, quibus fidem temere habuerat, vel in-

elmum posuit, in huius praenominis scriptura sibi non constitisse vides. Sic etiam Eobanus in Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. M. 3. b. *Guilielmus* et *Vuilhelmus* scripsit. — 229) Verbum *prodeambulare* Terent. Adelph. V, 1, 4. legitur, sed vocabulum *prodeambulatio*, quo Camerarius infra usus est, nusquam reperitur. — 230) Praestiterit *consortio*, quod vocabulum Cicero Off. III, 6. et Livius, qui tamen IV, 5. *consortium* posuit, VI, 40. et XL, 8. aliique usurpaverunt. Vid. Krebsii Antibarb. p. 157. — 231) Carpzovius *Venceslaum* substituit, quod sane usitatius est. Eobanus in Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. L. 1. a. et fol. M. 4. a. *Vincelaum* appellavit. — 232) Vid. ad Narrat. cap. 4. not. 33. — 233) Camerarius Narrat. de vita Phil. Melanchthonis cap. 7. *Vuilibaldo Pircamero* scripsit. Vulgo *Pirckheimerus* vocatur. Eobanus Silvar. Lib. VI. p. 524. *Pyrghaymerum*, Kuinoelius autem Orat. cap. 8. *Pirkhaymerum* nominavit. — 234) Camerarius edidit *Bamgertnerus*, quod a Carpzovio, quum ipse Camerarius Narrat. de vita Phil. Melanchthonis cap. 60. idem praetulisset, in *Pamgertnerus*, et a Kuinoelio Orat. cap. 12. in *Paumgartnerus* mutatum est. Nos, quum ab Eobano in epistolis et carminibus saepissime *Baumgartnerus* appelletur, *Baumgertnerus* scripsimus. — 235) Hoc vocabulum, cui *levatione* seu *allevatione* substituas, Latini ignorant. — 236) Immo *gubernationis rerum domesticarum*. Vid. ad Narrat. cap. 17. not. 162. — 237) Cic. Epp. ad Att. VII, 15. *Sed accipienda plaga est.* Sic nos

terdum incircumspecte [238]) cum cautis et attentis contrahendo negotia, vel etiam debitis inconsiderate sese implicando. Sed amicorum studio fiebat, ut publica liberalitate, quoties haerebat, explicaretur: quam ipsum saepe deinde magnifice praedicasse, et non nunquam in aliis desideravisse comperimus. Dabat tum operam Norimbergensi civitati Ioannes Mylius iuris consultus, vir iustitia et prudentia nemini secundus, doctrina et virtute cultuque religionis [239]) multis prior. Apud hunc saepe conveniebamus, et de illius sententia institutum sodalitium fuit. In quo praecipui erant ipse Mylius, Michaelus [240]) Rotingus collega noster, Georgius Hopellus scriba primarius senatus et summi viri Lazari Spengleri [241]) collega, ego. In orbem autem convertebatur acceptio [242]), quae erat potus ad vesperam cum bellariis. Proponere autem materiam oportebat eum, cuius partes erant, ut acciperet alios, de qua tum quaereretur et disputaretur. De hac ubi verborum satis fecisse videbamur, tum reliquum tempus iocis et familiaribus collocutionibus atque interdum ludicris impendebatur, dum discederemus quisque ad se. Prodeambulationes [243]) autem erant cum aliis vicinis locis, tum ad unum in silva Norica fonticulum, ad lapidem unum ferme urbe distantem, qui Eobani versibus non minus perenni aqua manabit, quam Athenis quondam sempiternam in arce olea viriditatem tenere, aut palma in Delo non exarescere potuit [244]). Hac fere ratione eos annos, quibus Norimbergae duravit coniunctio nostra absumsimus, praebente illa civitate sedem et hospitium Musis Eobanicis perbenigne et comiter: ut, quamvis illius exstent et pietatis praeclara opera, et beneficentiae in alios larga munera, tamen vel hoc nomine, quae vim et atrocitatem grassationis [245])

quoque dicimus *einen Schlag bekommen.* — 238) Adverbium *circumspecte* apud Gell. IX, 10. aliosque recentioris aetatis scriptores legitur, et Quinctil. Instit. Orat. IX, 2, 69. *Ideoque,* inquit, *parcius et circumspectius faciendum est;* sed *incircumspecte* nusquam reperitur. Scribe igitur *incaute* vel *improvide.* — 239) Id est *pietate* sive *sanctitate.* Cic. pro Planc. cap. 33. *qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam iustis honoribus et memori mente persolvunt?* — 240) Carpzovius *Micaelus* ut cap. 21. ubi Camerarius quoque *Micaelus* scripsit. — 241) Camerarius, a quo idem scriba senatorius Narrat. de vita Phil. Melanchthonis cap. 31. *Lassarus Spengelerus* vocatur, hic quoque *Spengeleri* posuit ut cap. 15. *Mezeleri* pro *Mezleri* sive potius *Metzleri.* Nos Carpzovium secuti sumus. — 242) Vocabulum *acceptio* Latinis ita non dicitur. Paullo post verbum *accipere* recte positum. Vid. ad Narrat. cap. 17. not. 145. Scribe igitur: *In orbem autem per omnes ibat invitatio,* coll. Liv. I, 17. III, 36. XXXIII, 39. et XL, 7. — 243) Scribe *ambulationes* et vid. quae supra not. 229. diximus. — 244) Camerarius haec petiit ex Cic. de Legg. I, 1. *Nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam tenere potuerunt; aut, quod Homericus Ulixes Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eandem.* De quo loco vid. Turnebi Comment. p. 527. sq. ed. Moser. — 245) Legitur hoc vocabulum apud Plin. H. N. XIII, 22. ubi *nocturnis grassationibus converberatam faciem* Neronis commemoravit, de qua vid. Tacit. Annal. XIII, 25. coll. Liv. III, 13. quo loco Volscius testatur, *se in iuventutem grassantem*

et populationis, et saevitiam hostium experiri tam immanem in modum debuerit, indignissima esse videatur. De quo impedior dolore et lacrimis ne plura scribam. Etiam hoc magis agendum esse intelligo, ut, quoniam aetas nostra in hunc fatalium mutationum articulum incidit [246]), ad ea, quae acciderint, ferenda potius nos paremus, quam ut tristitiam eventuum reddere velimus acerbiorem querelis nostris. Etsi profecto rabies saeculi huius et mundi furor [247]), qui in dies ingravescit, non potest non commovere indignationem vel moderatissimorum hominum. Sed haec quamvis maerentes et animis [248]) conturbati omittamus et ad Eobani mentionem reducamus narrationem.

XXV. Cum fere septennium [249]) confecisset Norimbergae, sollicitatus crebris literis et magnis pollicitationibus Eobanus ab Erphordiensibus amicis illo reverti decrevit, quo retrahebatur desiderio puerilis et iuvenilis vitae, et recordatione laudis quoque ac decoris, quod aetate constantiore in illa academia gesserat [250]). Mores etiam civitatis illius admodum ei placebant. Sed haud scio an nihil impulerit illum magis ad reversionem hanc [251]), quam Langi et Sturciadae semper expetita coniunctio, etsi Groningo maxime et ipso delectabatur. Rediit igitur Erphordiam anno Iesu Christi CIↃIↃXXXIII, quo postea aestas pestilens fuit, quam in vicino vico cum familia nos una cum secuta hieme transegimus. Venit autem illo cum spe eiusmodi, cui eventus non respondit. Et tamen factum est amicorum studio et cura et diligentia, ut satis commode ibi degeret annis fere quattuor [252]), et ut ad illam scholam collapsam non modo instaurandi viam monstraret, sed rationem etiam inchoaret, quam tamen sequi vel noluerunt, vel non potuerunt ii, penes quos administratio esset scholae illius. Docuit illic publice privatimque cum utilitate aliorum et sua laude multa. Multa etiam scripsit, et de Graecis versibus quosdam praeclare fecit Latinos.

XXVI. Post quadriennium invitatus clementissime a Philippo, illustrissimo Hessorum principe, Marpurgum commigravit, cum neque eum schola Erphordiana amplius liberaliter acciperet, et anni ingravescerent [253]), et liberi crescerent

in Subura incidisse. — 246) Curt. III, 5, 11. Alexander: *In quo me,* inquit, *articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis.* — 247) Immo *hominum furor.* Vid. Krebsii Antibarb. p. 314. — 248) Pro *animo.* Sic Ovid. Met. II, 39. Phaethon: *et hunc animis errorem detrahe nostris.* Alia id genus collegit Burmannus ad Phaedr. II, 2, 5. — 249) Hoc vocabulum, pro quo Festus antiquo more *septuennium* posuit, apud Prudent. in tetrast. Vet. Test. 6. legitur. — 250) Vid. ad Narrat. cap 2. not. 14. — 251) Mallem *ad consilium illuc redeundi* scripsisset. Vid. Doederlini Synonym. Lat. Tom. IV. p. 63. — 252) Camerarius et Carpzovius *quatuor* scripserunt. Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 15. — 253) Praestiterit *aetas ingravesceret.* Cicero Cat. cap. 2. *ingravescentem aetatem ferre,* et Lael. cap. 10. *aetate ingravescente* dixit. —

aetate et numero, et patria quoque dulcedine quadam sui insita omnibus ad sese revocaret occultis blanditiis civem suum. Perfecerat autem princeps Philippus, (quod tu melius nosti, Adame, non minima pars rerum illarum, quam ego) ut omni genere doctrinae celebres et spectati [254]) Marpurgi congregarentur, quo in loco consecrato piis Musis, munificentiaque sua stipendiis non spernendis constitutis, honeste et non incommode vitam ducere [255]) possent in studiorum bonorum cultu et virtutis ac sapientiae doctrina. Ibi Eobanus et reliquum aetatis breve tempus peregit, et praeclara opera multa elaboravit ingenii bonitate et industria ingenii sui [256]), inque primis [257]) totam Homeri Iliada convertit in versus Latinos. Opus autem egregium atque praeclarum auctore et hortatore Philippo Melanchthone inchoare coeperat [258]), ut ad Christianum ritum Fastorum libros conscriberet; cuius vix paucos initii versus absolvit [259]), et hanc decedens palmam reliquit in medio eruditis [260]) secuturae aetatis, quam qui amico nostro Ioanni Stigelio praeripiat, persuasum mihi est futurum esse neminem: a quo hi libri iam pridem exspectantur, exituri propediem, ut speratur, in lucem, et nostris temporibus, et auctoris famae gloriam et claritatem conciliaturi sempiternam. Sed nihil est, quod in tota vita sua praestiterit maius aut melius, quam quod psalmos Davidicos religiose et erudite in Latinas elegias transtulit: primum quidem Erphordiae, sed denuo et maiore cum cura et assiduitate Marpurgi, ubi et praeclara argumenta quaternis versibus comprehensa praeposuit singulis psalmis, ut prodierit tum vere sacrosanctum opus, omnibus, ut dicitur, numeris absolutum [261]). Quo vir pietate insignis et casto pectore et religioso studio celebravit aeternum deum, et omnibus non profanis neque vecordibus occasionem de rebus divinis cupide et ardenter commentandi praebuit: qui est ad deum cultus summus, et maximus ad homines fructus. Hoc igitur opus et hic labor est [262]), quo Eobanus sibi spem singularem gratiae ac benevolentiae divinae comparavit, et admirationem sui ac caritatem reliquit posteris: quorum nemo est, nisi improbus et malus, aut imperitus et barbarus, qui non illum hoc potissimum nomine amet et veneretur.

254) Aut ego fallor, aut Camerarius *ut viri omni genere doctrinae celebres et spectati Marpurgi congregarentur*, scripturus erat. — 255) Praestat *agere* vel *degere*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 190. — 256) Pro *industria ingenii sui*, quod nescio an minus recte dicatur, hic quoque ut cap. 24. *industria studii sui*, id est *studii assiduitate*, ponere malim; praesertim quum *ingenii bonitate* statim praecedat. Sic Sueton. Octav. cap. 8. *itineris industria* dixit. — 257) Praestat *imprimisque*. Vid. Handii Tursellin. Vol. III. p. 241. et ad Narrat. cap. 3. not. 20. — 258) Scribe *inchoaverat*, omisso verbo *coeperat*, quod illi iunctum redundat. Vid. Doederlini Synonym. Lat. Tom. III. p. 157. sq. — 259) Vid. Addit. XIV. — 260) Pro *hominibus eruditis*, quod vulgo praeferunt. Vid. ad Narrat. cap. 15. not. 138. — 261) Vid. Addit. XV. — 262) Aliter Virgilius Aen. VI, 129. *Hoc opus*, inquit, *hic labor est*. — 263) Scribe *quam ille*

XXVII. Fuit autem non minus principi gratus praesens Eobanus, quam studio ille habuerat [263]), ut sibi hunc adiungeret. Iocos et seria cum ipso miscere non dubitabat [264]), imprimis de simplicitate et candore et studio veritatis amans Eobanum, quod iudicium ipse posset facere, cum de eruditione doctrinae [265]) aliis affirmantibus crederet. Magnopere delectabatur Eobanus latrunculorum ludo [266]), quo ferunt saepe principem suaviter cum Eobano lusisse, cum iracundiam illius commoveret circumventi et inclusi, dum in celeritate [267]) minus caute produceret illas calculorum copiolas. Vere enim ludebat Eobanus, neque considerationi aliquid diligentiae impendebat, neque tempus terere cogitando sustinebat. Itaque nihil erat facilius, quam, si quis calliditatis aliquid usurparet, insidiis eum vincere. Tum igitur, cum cernebat se haerere, commoveri vehementer; sed ita, ut simul cum amissa victoria illa perturbatio resideret, vel potius abiret. Sed a iocis ad seria redeamus.

XXVIII. Erat Eobanus magnus osor superstitionum, et veritatem cum propter naturae simplicitatem, tum liberalitatem institutionis amabat [268]). Itaque venerabatur et colebat eos, qui illis temporibus monachorum potentiae et barbariae opponere audebant confessionem et assertionem [269]) veritatis atque bonarum artium. Cum autem his negotiis, quemadmodum fit [270]), principum quoque studia admista essent, (nam hoc omnibus temporibus observatum est [271]), ecclesiae et rei publicae quasi fluctuationes aut commotas simul, aut non longo intervallo sese mutuo consecutas esse) tum igitur principibus quoque eam rem curantibus, conventus interdum habiti et necessariae deliberationes susceptae fuerunt. Cum autem princeps Cattorum Philippus illo tempore operam diligentiae impenderet stabiliendae doctrinae religiosae singularem [272]), conventum aliquoties harum rerum causa fuit in oppido, quod in

studuerat. Vid. ad Narrat. cap. 8. not. 67. — 264) Camerarius edidit: *ut sibi hunc adiungeret, Iocos et seria cum ipso miscere non dubitabat. Inprimis de simplicitate* etc. quibus Carpzovius haec substituit: *ut sibi hunc adiungeret, nec iocos et seria cum ipso miscere dubitabat. Inprimis de simplicitate* etc. Nos haec verba, licet Camerarius in extrema quoque huius capitis parte *Sed a Iocis ad seria redeamus* scripserit, aliter digessimus. Ceterum similiter Plin. Epp. II, 13. *cum hoc seria, cum hoc iocos miscui.* Vid. Kritz. ad Sallust. Iug. cap. 96, 2. — 265) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 18. — 266) Vid. Addit. XVI. Eobanus in Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. I. 6. b. scripsit: *Latrones nostri indignantur, se insidiis heri a te circumventos. Itaque diem tibi dicunt, et, nisi pareas, bellum denuntiant*; et fol. N. 4. b. *Quin etiam latrunculi nostri in aula grassantur modo: sed quanto maiore voluptate mea te illi olim ἀνταγωνιστὴν habuerunt?* — 267) Praestiterit *dum praepropere et minus caute produceret*, coll. Liv. XXII, 3. *ferociter omnia ac praepropere actunum.* Similiter Camerarius cap. 4. *in festinatione* pro *nimis festinans* vel *festinanter* posuit. — 268) Vid. ad Narrat. cap. 4. not. 33. — 269) Malim pro *assertionem*, quod *vindicias secundum servitutem vel secundum libertatem* significat, *defensionem* scribere, vel *propugnationem*. — 270) Pro vulgari *ut fit.* Vid. ad Narrat. cap. 8. not. 73. — 271) Sic Plin. H. N. XVI, 22. de arborum foliis: *observatumque non arescere.* — 272) Vide, ne paullo rectius

silvis Duringiacis [273]) situm propter crebras illis in locis aeris ac ferri fodinas et huius generis officinas *Chalcidem* solebat nominare Philippus Melanchthon. Eo igitur, anno Christi CIↃIↃXXXVII, cum celebre concilium indictum fuisset, Eobanus quoque se cum Hessiacis contulit. Atque ibi Ioannem Stigelium, cuius paulo ante mentionem fecimus, tum admodum adolescentem, honesta familia gentis Duringiacae natum, primum familiariter cognovit [274]), et statim incredibili amore complexus neque obscure, neque falso vaticinatus fuit, quam ille facultatem Latini carminis [275]) consecuturus esset: eam nimirum, ut tanquam Germana soboles laudem ac nomen, quod Eobanus sibi ingenio et industria ac studio peperisset, Stigelius quasi hereditatem legitimam ab illo relictam paulo post adiret atque cerneret [276]). Itaque iam tum Eobanus non aliter quam filii appellatione vocare Stigelium, iocari cum eo suavissime, complecti illum amantissime, materiam et argumenta interdum illi versuum faciendorum proponere, denique ita se gerere erga adolescentem, ut divinitus animum senis commoveri, et favorem excitari, et dirigi iudicium appareret. Stigelius quidem quam non fefellerit praesensiones Eobanicas, quodque veluti soboles ingenua paternum genus referens in nomen quoque illius atque decus successerit, scripta ipsius facile declarant: neque me plura de his in praesentia verba facere decet, vel ne amico viventi atque florenti assentati fuisse, vel ne ad augendam hanc narrationem omnia undique collegisse videamur. Hoc neque silentio est praetereundum, neque alienum videri poterit, eam a Stigelio gratiam relatam fuisse amori Eobani, ut impense eum ille observaret, et reverentia debita patri prosequeretur, et omnibus officiis vivo studiosissime inserviret, et memoriam fato suo defuncti in terris posteritati elegantissimis suis versibus commendaret [277]), ornatam cum epitaphiis carminibus, ut fieri consuevit, tum accurata mentione aliis in argumentis, ubi locus esset occasioque sese offerret honorificae commemorationis de illo, aut speciosae appellationis nominis Eobanici. De his igitur hactenus.

scribas: *operam impenderet stabiliendae doctrinae sacrae singularem.* Nam vereor, ut *opera diligentiae* et *doctrina religiosa* recte dicantur. — 273) Camerarius *Dyringiacis*, quod Carpzovius in *Duringiacis* mutavit, sed paullo post *Duringiacae* scripsit. In Eobani Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. M. 1. a. *Thyringiam*, fol. S. 8. a. *Thuringiam*, fol. M. 7. b. *Thuringica*, et fol. L. 1. b. *Thuringice* reperitur. — 274) Quinctil. Instit. Orat. V, 7, 7. *ut totam causam familiariter norit*, et VI, 4, 8. *totas non diligenter modo, sed etiam familiariter nosse causas*, id est *accurate.* Camerarius tamen *familiariter cognoscere* pro *in familiaritatem recipere*, quod Cic. Philipp. II, 32. legitur, posuisse videtur. Sic Eobanus quoque Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. K. 3. b. *familiariter notus* scripsit. — 275) Malim *poesis Latinae.* — 276) Utrumque verbum coniungitur etiam Plin. Epp. X, 79. sive 76. *Rogavit enim testamento, ut hereditatem suam adirem cernerem que.* Forcellinus: „Quamvis autem, inquit, prius sit *cernere*, quam *adire*, hoc tamen verbum in formula hereditatis agnoscendae priore loco ponitur.“ — 277) Vid. Addit. XVII. —

XXIX. Ac nunc deinceps ad tristissimam narrationem, ita re poscente, procedat expositio, ut iis, quae retulimus, quasi colophon addatur exitus ex hac vita et migratio in meliorem locum Eobani, qui suo tempore miseras et afflictas multiplici clade terras reliquit, cum tamen adhuc rei aliquid, quo ille delectaretur, et spei non nihil, quo sustentaretur, esset reliquum. Eobanus itaque in patriam reversus, cum omnibus iis in locis, in quibus fuerat, memoriam praeclaram nominis sui reliquisset, et quodam tamen, ut ita dicam, Homerico fato migrationibus exagitatus fuisset, quattuor [278]) annis et in re meliore et spe luculenta Marpurgi vixit, annoque illo, qui mortem antecessit, correptus fuit interdum podagricis et arthricis morbis [279]). Quibus cum sentiret se tentari, initio tulit hunc casum molestius. Sed aegritudinem simul ac cruciatus die mitigante, desiit queri de hoc malo, ac [280]) incidit in diuturnum ac tabificum morbum, praeter opinionem omnium, qui fere alios metuebant. Propemodum igitur anno toto magis languoribus quam aegrotatione confectus tandem tertio Nonas Octobris [281]), cum diu tacuisset, de improviso voce emissa, se velle ad dominum suum ascendere dixit. Idque iis, qui aderant, approbantibus, quod arbitrarentur, in animo ipsi esse congressum cum principe, et affirmantibus, principi id gratum fore; Eobanus nihil ad haec, sed paulo post placido fine [282]) conclusit vitam in terris suam, et in coelum, ut significarat, hinc commigravit ad aeternum deum dominum suum, cui fideliter servierat, et cuius ministeria sedulo obierat, ea navitate [283]) et sollertia, quam ille idem ipsi fuerat largitus.

XXX. Morte Eobani nuntiata, affecti omnes tristitia fuerunt, sed princeps imprimis indoluisse huic fertur. Qui praebuit se permunificum [284]) erga relictam coniugem Eobani, feminam lectissimam, et utriusque sexus liberos, quibus etiam locum secum esse voluit, et munera aulica demandavit filiis, virgines et matrem commendavit illustrissimae principi coniugi suae. Itaque illi, marito et patre amisso, tamen sic postea vixerunt, ut orbitatis quidem et desiderii, sed nullo alio incommodo afficerentur. Reliquerat autem Eobanus, ut hoc genus solet, nihil fere suis nisi famam excellentem, et nomen ce-

278) Camerarius et Carpzovius hic quoque *quatuor* scripserunt. Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 15. — 279) Eobanus in Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. N. 5. a. haec scripsit: *Me podagricum factum, iam dudum nosti scilicet: non enim te celavimus. Cur autem rident ad hunc, quaeso, in aliis morbum homines? Ego nihil, quod ridiculum sit, experior. Verum enim, ut scis, didici dicere.* — 280) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 13. — 281) Immo *Octobres.* Vid. ad Narrat. cap. 5. not. 41. Paullo ante Carpzovius *III.* pro *tertio* posuit. — 282) Mallem scripsisset *placida morte.* Vid. Ruhnken. ad Vellei. Pat. II, 123, 3. et Krebsii Antibarb. p. 223. coll. Boetticheri Lex. Tacit. p. 199. — 283) Camerarius et Carpzovius *gnavitate* ediderunt. Rectius tamen hoc vocabulum, quod Cicero Epp. ad Div. X, 25. usurpavit, *navitas* scribitur. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Vol I. Part. II. p. 488. — 284) Scribe *muni-*

lebre, et laudem ingenii, doctrinae, virtutis. Quae in dies ad victum et cultum huius vitae minus adiumenti afferre incipiebat heredibus, nunc etiam aliquando nocere deprehenditur.

XXXI. Hic est cursus, quem nos cognovimus peregisse in terris Eobanum, et quem exponendum esse descriptione nostra duximus. Vixit autem annos LIII, menses VIII, dies XXVIII [285]. Statura corporis erat procera et robusta, pectus latum, facies aliquanto torvior; ut Albertus Durerus dicere soleret: Si illum non nosset, et imaginem expressam aspiceret, suspicaturum se, illam esse bellatoris [286]. Et erat profecto animus in homine magnus, et qui metuere nesciret; sed voluntas minime dimicatrix [287] aut contentiosa. Ipse neque in cibo neque potu [288] delicatus, aut lautitiarum appetens, neque scires, quo maxime prae ceteris caperetur aut alliceretur. Salsis tamen pisciculis ac [289] acido olere delectabatur [290], et in auctumno iuglandes recentes incisas superfuso vino ita comedebat, et mustum sic bibebat, ut inde aliquid voluptatis se percipere non dissimularet. Signum, quo utebatur [291], erat olor per ramum lauri ascendens et attingens capite nubes. Quod cum depictum fuisset super ianua aedicularum, quas conductas Norimbergae incolebat, addidit elogium [292] horum versuum duorum:

Nubila scandentem [293] *lauri de stipite cycnum*
Hesso stemma suum libera Musa dedit.

In adversis, vel quicquid forte accideret, quod molestiam afferret, pronuntiare solebat nomen *patientiae*, quo se ad ferenda tristia confirmabat. Nihil minus ferre poterat, neque peius oderat, quam obtrectationes aut criminationes aliorum, quas

ficentissimum. Nam vocabulum *permunificus* Latini ignorant. — 285) Immo XXIX. Vid. Narrat. cap. 5. not. 42. Ceterum Lossius in libro: *Helius Eoban Hesse und seine Zeitgenossen*, p. 225. Rommelius in Encyclopaediae ab Erschio et Grubero editae Sect. II. Part. VII. p. 214. aliique perperam memoriae prodiderunt, Eobanum a. d. III. Non. Octobr. a. 1540. rebus humanis ereptum esse. Vid. Iac. Bruckeri *Ehrentempel der deutschen Gelehrsamkeit. Augsburg*, 1747. p. 136. — 286) Eobani imago aeri incisa, quam in lapide delineandam curavimus, reperitur in Bruckeri *Ehrentempel der deutschen Gelehrsamkeit*, p. 132. No. 32. — 287) Hoc quoque vocabulum nusquam reperitur. Scribe igitur *pugnax* ex Plin. Epp. II, 19. *His accedit, quod oratio, de qua loquor, pugnax et contentiosa est.* — 288) Vid. ad Narrat. cap. 4. not. 33. — 289) Vid. ad Narrat. cap. 2. not. 13. — 290) Huc pertinent, quae Eobanus Epp. Lib. I. fol. O. 2. a. scripsit ad Groningum: *Pisciculos habemus delicatissimos, quibus soli vesci nec debemus, nec possumus. Rem tenes, acetum mitte; ipse, ubi tempus erit, veni;* et fol. O. 7. a. ad eundem et Eccilium: *Itidem rogo, aliquid vestrorum olusculorum, sed conditorum, ad nos transmittatis: huiuscemodi enim voluptas est hoc vesperi devorare.* — 291) In Camerarii editione typographi, opinor, culpa legitur: *Signo quo utebatur*, cui Carpzovius: *Signum, quo utebatur*, recte substituit. Camerarium enim ad exemplum Virgilii, qui Aen. I, 573. posuit: *Urbem quam statuo, vestra est*, aliorumque poetarum per attractionem inversam, de qua Weissenbornii Gramm. Lat. p. 413. velim conferas, ita scripsisse, mihi persuadere non possum. — 292) Id est *titulum*. Vid. ad Narrat. cap. 12. not. 106. — 293) Vid. ad Nar-

obortas quocunque loco aut tempore etiam iracunde refutabat et coercebat. Mendacium neque ipse dicebat, et dicto graviter offendebatur. Insidias calliditatis neque norat, neque cavebat: itaque iniquissime patiebatur se ludibrio haberi, et fidem atque simplicitatem suam malitiae deridendam exponi indignabatur. Inter iocos hunc libenter exercebat, ut propositum versum aliqua parte sui mutari iuberet; veluti in hoc: *Vitam quae faciunt beatiorem,* quid pro ultimo nomine[294]) numerose posset reponi, ut quaereret. Ac memini saepe unam aut alteram horam talibus permutationibus inter epulas nos absumsisse. Sed in his parvis exercitatiunculis[295]) immensa vis ingenii Eobanici innotescebat[296]). Versus etiam tum facere, et ad faciendos alios invitare, statim et sine ullo animi cogitationisque adminiculo, neque cura inveniendi, quid diceretur, adhibita. In quo genere proferebantur ab ipso saepe complures versus numeris et verbis ita concinni, ut nihil fieri posse videretur elegantius, sed sensus nullus[297]) exprimebatur. Itaque memini aliquando quosdam, qui sibi arrogarent aliquid facultatis poeticae, deceptos fuisse, cum argumentum quodpiam[298]) explicatum esse putarent, et quid rei significaretur quaererent. Solebat et invertere in convivio voces[299]): non enim poterat quiescere, et nihil illi, nisi quod et laederet neminem, et esset ingeniosum, placebat, et seria tamen tum non patiebatur admisceri, et ostentatoribus ingenii, sive quis sapientiae tum disputationes explicare[300]), seu recitare aliquid scriptorum suorum, seu quocunque modo doctrinae et eruditionis suae specimen edere conaretur, admodum irascebatur, eorumque ineptias interdum repudiabat asperius. Invertere igitur solebat voces Teutonicae imprimis linguae; quod erat factu ideo facilius, quia in hac omnia fere sunt primae originis vocabula, unius syllabae. Ad hanc usurpationem ita nos usu assuefeceramus, ut ignari negotii arbitrarentur, externa lingua nos colloqui.

XXXIII. Haec habui, Adame, quae ducerem narranda esse de Eobano nostro: cui serius quidem, quam tu voluisti,

rat. cap. 21. not. 208. — 294) Id est *nomine adiectivo*, ut vocat Priscian. II, 5. Vol. I. p. 72. ed. Krehl. — 295) Vocabulum recens confictum, cui *exercitationibus* substituas; praesertim quum *parvis* addatur. Eiusdem farinae sunt vocabula *commentatiuncula* et *dissertatiuncula*, quae pro *commentariolo* et *disputatiuncula*, quorum illud Cic. Orat. I, 2. Fin. IV, 4. et Q. Cic. de petit. consulat. cap. 14. hoc Senec. Epist. 117. et Gell. I, 3. reperitur, poni solent. — 296) Malim equidem *elucebat*, quod etiam rectius, quam *innotescebat*, cum praepositione *in* coniungitur. — 297) Immo *sententia nulla*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 444. — 298) Camerarius *quoppiam*, Carpzovius *quodpiam* scripsit. Hoc recte praetulit Schneiderus in Gramm. Lat. Vol. I. Part. II. p. 501. — 299) Similiter lusit Eobanus Epp. ad Camerar. Lib. I. fol. I. 4. b. in epigrammate:

Cuius in hoc versu pudet edere facta puellae,
Vis verum nomen dicere, dic a r a b r a b,

id est *Barbara*. — 300) Immo *disputationes de rebus ad sapientiam pertinen-*

et ego debui, sed fide et diligentia maxima hoc officium praestiti, et quasi iusta funeris persolvi, cum profecto inter praecipua bona numerem amicitiae et familiaritatis usum et vinculum, quo cum Eobano deus me coniunctum esse voluit. Qui quidem breve curriculum vitae suae laudabiliter et feliciter confecit, etsi molestiis non caruit, praesertim rei familiaris, et hanc vitam in terris eo momento [301]) reliquit, quo quasi de convivio tempestive discedens [302]) ita impendentem confusionem [303]) et turbas, denique ea, ad quae nostra producitur, declinando vitavit. De quibus plura nunc scribenda et dolori perturbationique indulgendum esse, non putavimus. Eodem anno multi ingenio, dignitate, virtute, sapientia, doctrina praestantes viri diem suum obierunt [304]); ut hunc studiis bonarum artium et excellentiae humanae fatalem fuisse, credi posse videatur. E quorum numero Guilielmum [305]) Budaeum [306]) hoc loco nominasse satis habuimus. Composuit autem, ut scis, Micyllus [307]) noster elegantissimum carmen de Eobano [308]), quo ipso pertexuit historiolam [309]) quandam vitae fortunaeque et mortis illius. Quod est in manibus omnium. Nos etiam hoc loco apponere voluimus versus, quos conscripsimus quasi ad sepulcrum Eobani apponendos, id est, *ἐπιταφίους*.

Helio Eobano Hesso,

viro optimo, principi poetarum,

amico suavissimo,

Ioachimus Camerarius,

Pabebergensis [310])

F.

Hic situs est Hessus, patria tellure receptus,
Quo rediit domino se revocante soli.

tibus instituere. Cf. Cic. Epp. ad Att. IV, 16. — 301) Praestiterit *eo tempore.* Vid. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 1, 8. et Krebsii Antibarb. p. 309. — 302) Cf. Lucret. III, 951. *Cur non ut plenus vitae conviva recedis?* Horat. Sat. I, 1, 116. sqq. *Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum dicat et exacto contentus tempore vita cedat uti conviva satur, reperire queamus.* — 303) Adde *rerum* vel *temporum.* Cic. Off. II, 19. *ante hanc confusionem temporum.* Vid. ad Narrat. cap. 19. not. 188. — 304) Vid. ad Narrat. cap. 11. not. 95. — 305) Vid. ad Narrat. cap. 24. not. 228. — 306) Camerarius scripsit *Budeum*, quod Carpzovius recte in *Budaeum* mutavit. Micyllus quoque in Epiced. Eobani vs. 341. hanc huius nominis scripturam est secutus. — 307) Minus recte Camerarius hic quoque ut cap. 18. scripsit *Mycillus*, quod Carpzovius, licet supra huius nominis scripturam emendasset, hic perperam retinuit. — 308) Vid. Addit. II. — 309) Huic vocabulo, quod nusquam reperitur, substitue *narratiunculam*, quo Quinctil. Instit. Orat. I, 10, 6. et Plin. Epp. VI. 33. usi sunt, vel *descriptiunculam*, quod Senec. Suasor. 2. legitur. — 310) Hic quo-

Dum circum huc illucque vagus fert seque domumque
Quaerit et Aonio praemia digna choro,
Non nihil ille quidem reperit. Sed praemia Musis
Huius nulla satis digna fuere viri.
Nec potuere dari, neque saecula nostra tulerunt
Tantum, aetas Hessum nosset ut illa, boni.
Gloria sera venit meritis, post fata superstes,
Inque dies melior fama sepulta redit.
Et tamen ipse suae cognovit nomina laudis,
Audiit et tempus se celebrare suum.
Cepit et ingenii de fructu commoda vivus,
Virtutisque suae crescere vidit opus.
Sed maiora ferunt insignia scilicet[311]) anni,
Viventis cedens quos abit ante decus.
Illi etiam eximiae famae praeconia, mundus,
Hesso, donec erit, splendidiora ferent.
Hoc satis est. Hessi busto sepelitur in isto
Corpus, in aetheria spiritus arce manet.
Per terras bona fama volat, speciosaque laudis
Nomina Pieria testificata manu.

Ἡλίῳ Ἐωβανῷ Ἕσσῳ

ἀνδρὶ βελτίστῳ καὶ ποιητῇ

ἐμμελεστάτῳ.

Ἀστέρα Μουσάων, Χαρίτων ἔρνος, στόμα Φοίβου,
Ποιητὴν λιγυρῶν ἡδυθρόον μέλεων,
Κήρυκ᾽ ἀθανάτου τε θεοῦ θνητῶν τε δικαίων,
Ἕσσον Ἐωβανὸν τῇδε κέκευθε κόνει.
Δεξαμένη πατρὶς αὖθις ἑοὶς κόλποισι θανόντα,
Ἧι μετ᾽ ἐν[312]) ἐκ πολλῶν ναῖεν ἀναστάσεων.
Ἔνθα μαραινόμενος τε φθινώδεσιν ἠρέμα νούσοις
Ἥσυχον ἐλλογίμου τέρμα λέλογχε βίου.
Ὄλβιος ὅς κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισι λελοιπὼς,
Κεῖθεν ἐς οὐρανίους εὐθὺ βέβηκε δόμους.
Ἐι δέ που ἐν τῇ γῇ πολυπλαγκτοσύνῃσι[313]) κέκμηκεν,
Ἔσχ᾽ ἀφ᾽ Ὁμηρείου καὶ τόδε δῆτα τύχης.

ἀπὸ

Ἰωαχείμου Καμεραριάδου,

μνημόσυνον σεβάσμιον.

que Carpzovius *Pabepergensis* scripsit. Vid. ad Narrat. not. 1. — 311) Vid. ad Narrat. cap. 21. not. 208. — 312) Camerarius perperam *ᾗ μετ᾽ ἔν*, Carpzovius peius etiam *ᾗ μετ᾽ ἕν* edidit. Apparet enim, *ἐν* et *ναῖεν* per tmesin esse divisa, ut Homer. Odyss. I, 51. *θεὰ δ᾽ ἐν δώματα ναίει.* Praecedens *μετὰ* pro *μετέπειτα* positum. — 313) Vocabulum *πλαγκτοσύνη* Homer. Odyss. XV, 343. et *πολυπλαγκτοσύνη* Manethon. Apotelesmat. IV, 222. legitur.

CHRISTIANI THEOPHILI KUINOELII

ORATIO

DE HELII EOBANI HESSI IN BONAS LITERAS MERITIS.

Rector Academiae Magnifice,

Cancellarie Perillustris,

Professores ac Doctores Summe Reverendi,

Consultissimi, Experientissimi,

Excellentissimi,

Fautores et Collegae Venerandi,

Auditores ordinum omnium Honoratissimi,

Commilitones Humanissimi.

Quod evenire solet in concionem prodeuntibus, Auditores, quod evenisse compertum habemus oratoribus quondam disertissimis [1]), cum coram populo vel senatu ad verba faciunda surgerent, ut magno cum metu dicere inciperent, id mihi oratori indiserto, doctrinaeque meae tenuitatis probe conscio, hodie evenire sentio et ultro confiteor. Etenim si intueor haec sapientiae penetralia [2]), hanc insignem audientium omnium ordinum frequentiam, hunc splendidissimum consessum virorum divinae humanaeque sapientiae laudibus florentissimorum, audiendi iudicandique peritissimorum; si recordor virorum celeberrimorum, qui ante me hanc cathedram conscenderunt, quam hodie primum conscendi; si perpendo ipsius muneris, quod nunc auspicor, dignitatem et praestantiam; si mecum denique reputo, de mea apud Vos in posterum existimatione mihi hodie esse periclitandum [3]); qui tandem animo tranquillo esse possim et impavido? Profecto mihi obmutescendum esset, nisi animum meum recrearet et reficeret recordatio insignis benevolentiae [4]), quam Vos imprimis, Academiae Patres, mihi absenti et advenienti praestitistis; nisi certus praeviderem, Vos

1) Vid. Cic. Orat. pro Milone cap. 1. *Kuinoel.* — 2) Id est *auditorium*, in quo dicebat orator. Aliter Quinctil. Instit. Orat. XII. Prooem. 3. orator *maiora sibi auxilia ex ipsis sapientiae penetralibus petere* dicitur. — 3) Sic Augustus apud Sueton. Tiber. cap. 21. *ne de summa imperii sui populus Romanus periclitetur.* Praepositio vulgo omittitur. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXXVIII, 25. 7. cui Oudendorpius ad Suetonii locum adstipulatur. — 4) Kuinoelius hoc loco *benevolentiae*, sed paullo post *benivolasque* et *benivolentia*, cap. 8. *benivolentiae*, et cap. 12. *benivolentiam* scripsit; quod minus recte fieri, post Schneiderum Gramm. Lat. Vol. I. Part. I. p. 16. monuit Kritzius

inflammatos amore patriae literarumque, quarum excellenti doctrina tantam claritatem Vobis comparastis, ut gloria et splendore mirifice fulgeatis, Vos doctrinae meritorumque in patriam et literas aestimatores [5]) intelligentissimos gravissimosque mihi dicenti, quamvis orationis ubertas et elegantia desit, propter orationis meae argumentum attentas benevolasque aures ultro esse praebituros. Nempe Helii Eobani Hessi memoriam mea, Auditores, renovabit oratio. Eobani memoriam, popularis Vestri, poetarum Latinorum sua aetate in Germania facile principis, de quo filio [6]) suo Hassia, clarorum virorum parens et altrix, gloriatur, in quo Ovidium renatum esse, Erasmus, at quanti nominis vir! iudicabat [7]), quem cum Homero comparare haud dubitavit clarissimum illud literarum lumen, Camerarius [8]). Eobani ergo laudes et virtutes Vestra, Auditores, humanitate et benevolentia fretus ita oratione persequi ac celebrare conabor, ut qualis quantusque vir exstiterit, quam insignia ipsius in bonas literas merita fuerint, cunctis appareat.

II. Plures sane exstiterunt, Auditores, et avorum nostrorum memoria et recentiore [9]) aetate, qui naturae ipsius habitu prope divino, etiam a praeceptoribus minus idoneis male instituti, per se ipsos in literis excellerent, in easque merita sibi compararent maxima [10]); sed cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit institutio magistrorum doctorum et fidelium, tum, ut Cicero ait [11]), illud nescio quid praeclarum ac singulare solet exsistere. Ex horum numero Eobanus erat. Cum enim iam in prima pueritia ingenium ipsius emineret, Ditmarus coenobii Heinensis praesul, homo sagacissimus, qui puerum prima literarum elementa docuerat, ingenii eius animique dotibus mirifice delectatus Eobani parentibus suasit, ut filium discendi cupiditate incensum literis dicarent [12]), et Gemundam mitterent ad Ioannem Mebesium, quem virum gravem et satis doctum Camerarius nominat [13]), iudex, ut nostis, maxime idoneus et fide dignissimus. Ab hoc praeceptore codemque cognato suo cum praeceptiones grammaticas accepisset, ita, ut eas non leviter attigisset, sed comprehendisset

ad Sallust. Cat. cap. 3, 2. — 5) Praestat hic *existimatores* pro *aestimatores*. et cap. 4. *existimatorem* pro *aestimatorem* reponere. Vid. Doederlini Synonym. Lat. Tom. V. p. 301. sq. et Krebsii Antibarb. p. 96. sq. — 6) Sic Catull. XXXVII, 18. *Cuniculosae Celtiberiae fili.* Malim tamen *alumno.* Cic. Verr. V, 66. *Italia autem alumnum suum servitutis extremo summoque supplicio affixum videret.* Aliter Latinis *terrae filius* de homine ignobili et obscuro dicitur. — 7) In epistola ad Draconem a. 1519. scripta, quae in Epp. Eobani p. 257. ed. Marburg. legitur. — 8) In Vita Eobani, Lips. 1696. p. 10. *Kuinoel.* Huius editionis p. 8. sq. — 9) Sic scripsi pro *recentiori*, quod Kuinoelius posuit. Vid. Krebsii Antibarb. p. 13. — 10) Haec nostram consuetudinem redolere videntur. Latini dicunt *bene*, *praeclare*, *melius*, *optime de aliqua re mereri*, quae Kuinoelius alibi usurpavit. Vid. Krebsii Antibarb. p. 304. sq. — 11) Orat. pro Archia cap. 7. *Kuinoel.* Ex quo Ciceronis loco paullo ante recepi *ad naturam*, adiecta praepositione, quam typotheta Kuinoelio invito omisisse videtur. — 12) Malim *literarum studiis destinarent.* — 13)

penitus [14]), quattuordecim [15]) annorum puer in disciplinam traditus est Iacobi Horlaei[16]), qui scholae Francobergensi insigni cum laude praeerat. Hoc duce et magistro bonas literas tanto ardore et studio tractabat, ut quotidie maiores et ampliores in iis progressus faceret. Imprimis incredibili poeseos[17]) flagrabat amore et studio. Quare Horlaeus, qui mirificam in puero elucere vidisset indolem, praecepta carminum pangendorum ei tradidit; cumque aliquantulum temporis in hac institutione consumsisset[18]), cumque vires suas in componendis versibus experiri iussisset, vim promtam ingenii ipsius admirabatur [19]), ita, ut eum cohortaretur et obtestaretur, pergeret quo deus et natura ducerent. Carum imprimis hunc discipulum suum habebat Horlaeus, nec unquam eum amare ac diligere desinebat, saepiusque discipulis suis, ut industriam eorum et studia incitaret atque impelleret, Eobani, cum inclarescere inciperet, exemplum imitandum proponebat, homo profecto sapientissimus. Etenim egomet ipse alumnus quondam disciplinae Fischeri, quem alterum Camerarium nominare, quis est qui dubitet? expertus scio, quam grave calcar ad discendum mihi reliquisque condiscipulis meis admoverit praedicando et ad imitandum aemulandumve proponendo exempla virorum illustrium, de re publica praeclare meritorum, qui olim fuissent disciplinae scholae Thomanae alumni [20]).

III. Tam fidi igitur et docti eum contigerint Eobano magistri, qui et ipse excellenti ingenio praeditus esset, non mirandum est, Auditores, eum aetatis annum decimum sextum [21]) agentem idoneum fuisse, qui dimitti in academiam posset. Abiit ergo in academiam Erfurtensem, hominibus doctis liberalissimisque studiis affluentem; ibique operam omnem, omne tempus in cognoscendis arripiendisque literis [22]) ad hu-

Narrat. cap. 20. — 14) Nescio an scribere praestet: *ut eas non leviter memoriae infixas, sed scientia penitus comprehensas teneret.* — 15) Hoc pro *quatuordecim* posui. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 2. not. 15. — 16) Vel *Iacobo Horlaeo.* Cic. Div. I, 41. *senatus decrevit, ut de principum filiis sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur;* sed Philipp. II, 2. *te in disciplinam meam tradideras*; quo loco genitivum tuearis. — 17) Idem Kuinoelius cap. 7. 10. et 12. posuit. Rectius tamen *poesis* scribi, satis constat. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. Part. I. p. 173. 190. sqq. et 286. sq. atque Krebsii Antibarb. p. 12. sq. — 18) Haec ex Camerarii Narrat.. cap. 6. ita sunt depromta, ut praepositioni *de*, quam inducendam esse docuimus, rectius *in* substitueretur. — 19) Et haec inde petita sunt, servata tamen lectione *promtam*, quam ipso Camerario auctore in *promti* mutavimus. — 20) Eadem memoriae prodidit Kuinoelius in *Narratione de Io. Fr. Fischero ad Franc. Volkm. Reinhardum, Lips.* 1799. p. 31. et p. 28. Fischerum, cuius exstat *Oratio de Ioach. Camerario, grammatico pariter atque theologo excellente, Lips.* 1762. adiuncta eius *Prolusionibus in Palaephatum, Lips.* 1771. Melanchthoni et Camerario doctrina pariter atque virtutibus simillimum fuisse iudicavit. — 21) Scribe *sextum decimum.* Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 6. not. 49. — 22) Praestiterit, mutato verborum ordine, *in arripiendis cognoscendisque literis* scribere. Cf. Cic. Cat. cap. 8. ubi Cato: *Graecas*, inquit, *literas senex didici; quas quidem sic avide arripui, quasi diuturnam sitim ex-*

manitatem pertinentibus ita collocabat, ut celeriter omnibus commilitonibus suis ingenii gloria antecelleret. Imprimis poesin, cuius amorem singularem in academiam attulerat, tanto tractabat studio, ut et facultatis suae carmina pangendi specimina duo satis luculenta publice daret, quae magno omnium plausu exciperentur [23]). Sic vero fieri non poterat, quin [24]) etiam honoribus cohonestaretur et ornamentis augeretur. Accepit summos in philosophia honores, cum attigisset aetatis annum vicesimum [25]).

IV. Curriculo academico adeo feliciter, tanta cum laude transacto, Eobanus exteras quoque regiones visere decrevit, ut in notitiam hominum doctorum veniret, eorum usu et sermonibus amplificaret magis atque augeret copias literarum, earumque cupiditatis sitim exstingueret. Peragrata igitur magna Germaniae borealis parte, Pomerania, Borussia et Polonia, cum literis commendaticiis sese contulit ad Iobum, praesulem Rieseburgensem, literarum eorumque, quos verae doctrinae et virtutis cum studiosos, tum peritos videret, fautorem eximium. Hic adolescentis humanitate et urbanitate, praeclarisque ingenii animique dotibus brevi ita captus tenebatur, ut eum summis beneficiis ornaret, ac tanto amore et studio amplecteretur, ut Eobanus tam iustum virtutum suarum aestimatorem [26]) sibi contigisse, gaudere ac gloriari suo iure posset. Quam vehementer Eobanum dilexerit, quantopere ei confisus sit, vel inde iudicare potestis, Auditores, quod eius opera ad scripturas secretiores usus sit [27]); quod eum cum mandatis Varsoviam ad Poloniae regem miserit; quod eum postea Lipsiam abire iusserit ad accuratius ibi ediscendam prudentiam civilem [28]), quo ei graviora negotia demandare, et amplioribus eum ornare posset honoribus. Eobanus vero hunc fautorem suum, a quo tantis beneficiis ornatus et cumulatus esset, studio colebat summo et flagrantissimo, nullamque occasionem praetermittebat, qua ei animum gratum demonstrare posset; parebat etiam auctoritati et consilio ipsius, Lipsiamque concedebat. Sed iuris prudentiae tunc temporis [29]) ab hominibus barbaris

plere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis. — 23) Carmen de infelicitate amantium; Philetas, carmen bucolicum. *Kuinoel.* Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 7. not. 59. ubi lectores, id quod postea vidi, ad Lossii librum: *Helius Eoban Hesse und seine Zeitgenossen, Gotha,* 1797. p. 230. delegandi erant. — 24) Kuinoelius, id quod satis mirari non possum, perverse scripsit: *Sic vero fieri non poterat non, quin* etc. Alterum *non* sustuli. Vid. Krebsii Antibarb. p. 371. et Wolfii Analect. Literar. Vol. II. p. 491. ubi haec, nescimus unde, afferuntur: *Non possum non, quin existimem, huic elegantissimae aetati, qua iam etiam Graece scribit adolescentia, in Latinis novum Antibarbarum optabilem esse.* Hoc desiderium iam Grysari, Krebsii aliorumque opera expletum est. — 25) Anno 1508. *Kuinoel.* Cf. Lossii librum: *Helius Eoban Hesse und seine Zeitgenossen,* p. 17. — 26) Scribe *existimatorem.* Vid. ad Orat. cap. 1. not. 5. — 27) Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 7. not. 63. — 28) Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 7. not. 64. — 29) Omitte vocabulum *temporis.* Vid. Reisigii Gramm. Lat.

misere depravatae studium brevi merito sordebat Eobano, Musarum alumno et cultioris doctrinae studiosissimo. Vix dum iure consultorum scholas frequentare coeperat, et libros eorum grandes, barbariei inscitiaeque plenos inspexerat atque degustarat, cum eum horror tractationis a iuris studio repulit [30]. Rediit ad literas humaniores [31], quarum dulcedine et praestantia totus captus teneretur, et divenditis illis legum atque constitutionum libris, paulo post permissu ac pace praesulis Rieseburgensis Erfurtum repetiit [32].

V. Hanc enim urbem, cui doctrinae suae initia et incrementa deberet, mirifice amabat, et cum flagraret cupiditate incredibili de literarum salute docendo bene merendi, in hac potissimum urbe iuventuti bonarum literarum studiosae doctrina sua prodesse avebat. Quibus quidem animi pii et grati desideriis eventus etiam praeclare respondit. Commissa est ei rectura [33] scholae Severianae, commendatione maxime Ioannis cuiusdam, ecclesiae S. Severi [34] canonici. Iam huius scholae moderamen [35] cum commissum esset Eobani fidei, omni opera, omnique studio in eo elaborabat unice, ut ex ea expelleret superioris saeculi barbariem et insipientem sapientiam, mentes et ingenia puerorum verae sapientiae divinae humanaeque opibus augeret, eorumque pectora omnis probitatis, virtutis cuiuscunque amore ac cupiditate incensa inflammaret [36]. Tam egregium omnino se praestabat magistrum, tanta cum cura et diligentia omnibus muneris sui partibus ac numeris satisfacere studebat, ut exemplo esset omnibus scholarum magistris, ut omnes pueritiam filiorum suorum lubenter disciplinae ipsius concrederent. Sed sicut umbra in sole ambulantes, sic sequi et comitari solet invidia ad veram laudem gloriamque solidam ac perennem tendentes. Ludi Mariani rector, homo egregie stultus et inficetus [37], cuius institutio

p. 649. et Krebsii Antibarb. p. 484. — 30) Kuinoelius haec quoque ex Camerarii Narrat. cap. 11. repetens perperam scripsit *repelleret*, cui Latinam consuetudinem secutus *repulit* substitui. Vid. Krebsii Antibarb. p. 32. sq. et 513. — 31) Auctore Cicerone Orat. pro Archia cap. 2. scribe *studia humanitatis ac literarum*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 243. sq. — 32) At Camerarius Narrat. cap. 11. scribit, Eobanum oblitum voluntatis ac mandatorum praesulis sui, libris divenditis, Erphordiam se retulisse. — 33) Rarius hoc vocabulum, quod Frontin. de Colon. ap. Goes. p. 131. *rectitudinem* significat, pro *rectione* sive *regimine* poni non potest. Vid. Krebsii Antibarb. p. 416. — 34) Praestiterit *ad aedem D. Severi* scribere. Vid. Krebsii Antibarb. p. 192. — 35) Vocabulum Ovidianum et poetis relinquendum. Scribe: *Iam huius scholae moderatio* sive *gubernatio cum commissa esset Eobani fidei* etc. — 36) Omitte vocabulum *incensa*, quod redundat. Sic Kuinoelius etiam cap. 8. *studio incensi flagrabant* scripsit. Paullo ante malim *probitatis et virtutis* scribere. — 37) Vocabulum *egregie* adiectivis additum in bonam plerumque partem, rarissime in malam dicitur. Q. Labeo tamen Gell. XX, 1. *Quidam*, inquit, *L. Veratius fuit, egregie homo improbus atque immani vecordia.* Similiter Vellei. Pat. II, 48. et 68. *ingeniose* et *ingeniosissime nequam* dixit. Ab his differt *splendide mendax* apud Horat. Od. III, 11, 35. ubi Mitscherlichius similia congessit. Praeterea vid. Krebsii An-

puerorum omni ex parte inepta esset, cum malignus videret, quam insigni cum laude et discipulorum utilitate Eobanus doceret, quantam frequentiam scholae conciliaret ipsius institutio, quam gratiosus cunctis esset, viri laudatissimi famam variis artibus et obtrectationibus laedere conabatur, et clamoribus suis atque criminationibus etiam hoc efficiebat, ut Ioannes ille, cuius paulo ante mentionem fecimus, Eobano alienior fieret [38]), cumque, quem hactenus [39]) convictorem habuisset ac pluribus beneficiis ornasset, a se removeret [40]). Iam quomodo putatis, Auditores, Eobanum hoc infortunium tulisse? Neque invidiae morsus, nec rei familiaris angustiae, hoc modo insigniter auctae, cum admodum tenui stipendio doceret, ardorem et studium ipsius de schola bene merendi reprimere poterant. Persuasissimum enim ei erat, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi honestatem et recte praeclareque factorum conscientiam, in eaque tuenda omnes molestias, iniurias, omnia pericula parvi esse ducenda. Nec vero etiam defuerunt huic ipsius constantiae et probitati praemia dulcissima. Cum abunde pateret [41]), quam salutaris et fructuosa, quam felix et efficax disciplina ipsius esset, demandavit ei rhetorices docendae provinciam in academia senatus Erfurtensis.

VI. Postquam igitur Eobanus munus scholasticum commutarat cum academico, cum ita latius pateret ipsius efficacitas, nihil prius sibi agendum existimabat, quam ut nova quotidie literis incrementa afferret et compararet, atque viam ad iustae doctrinae laudem quam plurimis patefaceret, patefactam muniret. Docebat ergo rhetoricen, auctores utriusque linguae [42]), et Graecae et Latinae, optimos, oratores imprimis et poetas explicabat, et exemplo et institutione auditorum ingenia ad artium liberalium studium accendebat successu prosperrimo. Quanta fuerit ipsius doctoris academici disciplinae felicitas, quanta utilitas, declarat et loquitur insignis multitudo eorum, qui, quod praetulisset, lumen secuti et ipsi deinde ad illustrem nominis famam posteritatisque memoriam pervenerunt, et munera ecclesiastica atque civilia praeclarissime sustinuerunt; qui omnes se omnia Eobani disciplinae debuisse, uno animo iudicabant, unoque ore praedicabant, e quibus nominasse sufficiat Sebaldum Munsterum [43]), Petrum Lotichium

tibarb. p. 195. Terentii locus ibi commemoratus reperitur Heaut. III, 1, 11. sq. *Aut ego profecto ingenio egregie ad miserias natus sum* etc. Sed Bentleius ibi ex cod. Bemb. *egregio*, ex aliis *miseriam* recepit. — 38) Mallem scripsisset *ab Eobano alienior fieret*, vel *ab Eobano abalienaretur*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 101. — 39) Immo *adhuc*. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 4. not. 31. — 40) *Helius Eoban Hesse und seine Zeitgenossen. Ein Beitrag zur Erfurthischen Gelehrten- und Reformationsgeschichte von Kasp. Friedr. Lossius. Gotha*, 1797. p. 74. *Kuinoel.* — 41) Malim equidem: *Cum satis pateret.* Vid. Handii Tursellin. Vol. I. p. 72. — 42) Immo *scriptores utriusque linguae.* Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 2. not. 16. — 43) Camerarii

Secundum [44]) et Camerarium [45]), cuius vel sola nominis commemoratio maximam omnibus admirationem iniicere debet.

VII. Quam fortunata tunc Erfurtensis academia erat! Linguarum veterum omniumque reliquarum artium studium summum et ardentissimum in ea fervebat, ipsa divino Eobani ingenio ita nobilitata florebat, ut famae claritudine [46]) ceteras Germaniae scholas celeberrimas aequaret, ut in eam innumerabilis multitudo doctrinae liberalis cupidorum vel discendi causa sese conferret, vel ad visendum saltem Eobanum concurreret. At nihil est in rebus humanis, Auditores, certum et constans; omnia fluxa reperiuntur atque fragilia. Insigne exemplum huius rerum humanarum mutationis academia Erfurtensis erat. Illa tempora laetiora sequebantur eheu! longe tristissima. Tumultus rusticorum per Germaniam orti, quibus etiam Erfurtensis civitas perturbabatur, dissensiones et discordiae, quibus ea tunc ardebat, stultitia et perversitas magistratuum, morbi contagiosi, metus parentum superstitioni deditorum, cum Erfurtenses imprimis faverent Luthero, qui a sordibus superstitionis religionem Christianam purgare coepisset, ne filiorum animi Lutheri opinionum pravitate scilicet inficerentur; haec omnia [47]) brevi ita imminuerant numerum adolescentum discendi cupidorum, ut literarum studia iacerent frigerentque, ut de academia actum videretur, ut doctores academici, praesertim cum aerarium paene exhaustum vel esset, vel diceretur, vix haberent, unde viverent. Qualem vero sese praebebat Eobanus in hac calamitate publica? Nunquam fortunae crediderat, etiamsi videretur pacem agere [48]). Quare nec hoc calamitatis ictu fortis et constans ipsius animus frangi debilitarique poterat. Immo deo confisus literis pro viribus prodesse pergebat, et artem medicam addiscebat, ut eam in posterum exercere, atque ita sibi victum comparare posset. Huius consilii auctor ei fuerat Georgius Sturtius, medicus Erfurtensis primarius, qui eum inopia pressum omnis generis beneficiis ornabat. Hic eum expertus sciret, illam artem ea natura esse [49]), ut, nisi quis magna literarum Graecarum Latinarumque scientia instructus accedat, nihil in ea magni efficere pos-

Vit. Eobani p. 39. *Kuinoel.* Huius editionis p. 28. — 44) Lossius: *Eoban und seine Zeitgenossen* p. 74. *Kuinoel.* — 45) Camerarius l. c. p. 29. [p. 21. huius editionis] *Non ita multo post ego annos natus octodecim Erphordium et ipse me contuli.* p. 42. [p. 29. huius editionis] *Cum hoc* (Georgio Sturciade) *designatus fui et mox renuntiatus decimus nonus, secundo, ut opinor, loco, magister optimarum artium, declarante iudicium de nobis eorum, qui suffragia tulerant. Eobano Hesso. Kuinoel.* Camerarium *secundo loco, ut opinor,* edidisse docui ad Narrat. cap. 20. not. 192. — 46) Pro *claritate* positum, ut Sallust. Iug. cap. 2. *quibus summa claritudo paratur.* Vid. Haasium ad Reisigii Gramm. Lat. p. 98. not. 87. et Boetticheri Lex. Tacit. p. 90. — 47) Haud scio an *haec omnia* ita positum a Latina consuetudine abhorreat. Paullo aliter Tacit. Annal. 1, 9. et 68. *cuncta* legitur. — 48) Seneca ad Helv. cap. 5. *Kuinoel.* — 49) Praestiterit, opinor, *illius artis eam naturam esse.* —

sit [50]), et Eobanum his in literis exercitatissimum esse nosset, vel propterea ei suaserat, ut in hac arte ingenium studiumque suum collocaret. Eobanus vero hoc duce et magistro ita collocabat, ut ipse librum de tuenda bona valetudine [51]) conscribere posset, qui tam egregia diaetetices praecepta contineret, et tanto omnium plausu exciperetur, ut saepius repetendus esset librariis [52]). At enim vero Eobanus, qui cum fortuna adversa colluctans doctrinae medicae partes adeo diligenter ac studiose tractabat, ab his studiis avocatus est prius quam ipse sperarat. Scilicet rés scholastica tali viro, qui eruditionis amplissimae documenta dedisset luculentissima, qui de scholarum publicarum salute tam excellenter promeritus fuisset [53]), diutius carere non poterat. Senatus Norimbergensis,

50) Kuinoelius scripsit *posse*, quod, ne orationis structura turbaretur, in *possit* mutavi. — 51) Parum accurate Kuinoelius, licet Horatii Epistola ad Pisones Quinctil. Instit. Orat. VIII, 3, 60. *liber de arte poetica* dicatur, *librum* appellasse videtur carmen, quod bonae valetudinis conservandae rationes aliquot continet atque ab Eobano ipso primum a. 1525. deinde a. 1531. emendatius editum et Georgio Sturtiadae inscriptum in *Operum Eobani farraginibus duabus* inde a p. 786. legitur. Ioecherus quidem, id quod Erhardus in Encyclopaediae ab Erschio et Grubero editae Sect. II. Part. VII. p. 211. non commemoravit, Eobanum praeter illud carmen *Tractatum de tuenda valetudine* edidisse, in opere, quod inscribitur: *Allgemeines Gelehrten-Lexicon*, Tom. II. p. 359. memoriae prodidit. Sed Thierfelderus, artis medicae, quam in urbe nostra profitetur, peritissimus et a supellectile literaria instructissimus, mihi hac de re eum consulenti haec rescripsit: *Ihre Frage: ob des* Helius Eobanus Hessus *Gedicht mit der Ueberschrift:* Bonae valetudinis conservandae rationes aliquot etc. *verschieden sey von dessen* De tuenda bona valetudine tractatus, *muss ich auf den Grund einer Vergleichung der Ausgabe dieses Gedichtes* (Wittebergae, 1544. 8.), *welche die erstere Ueberschrift führt, und der Ausgabe* (Francofurti, 1582. 8.), *welche die zweite Ueberschrift hat, verneinend beantworten, indem in beiden das Gedicht anfängt:* Musa repertoris medicarum filia rerum, Te duce conanti scribere pauca fave, *und schliesst:* Nam quia iusta tuo poteras mandare poetae, Te duce, quae poterat pondera ferre, tulit. *Dieses Gedicht hatte das — auch anderen literarischen Erzeugnissen nicht selten widerfahrene, so leicht zu Irrungen führende — Schicksal, sowohl während des Lebens, als nach dem Tode seines Verfassers unter verändertem Titel zu erscheinen. Die Ausgabe dieses Gedichtes* Parisiis, 1555. 12., *die* Ios. Placotomus *besorgte, mit kurzen Erläuterungen versah und seinen Vorlesungen über eben dieses Gedicht zu Grunde legte, ist meines Wissens die erste, welche* de tuenda bona valetudine *in* rubro *hat, während bis dahin das Gedicht in sämmtlichen sehr zahlreichen Ausgaben die ursprüngliche Ueberschrift behalten hatte. Die neue Ueberschrift des Gedichtes ist in allen nach* 1555 *erschienenen Separatausgaben desselben, mit Ausnahme der Ausgabe von* Petrus Hassardus (Francofurti, 1564. 8.), *deren Titel so lautet:* Saluberrima bonae valetudinis conservandae praecepta, *wiederholt worden, und der Umstand, dass das Gedicht in der Ausgabe der* Operum farragines etc. (Francofurti, 1564. 8.), *die Ihnen vorliegt, noch die alte Ueberschrift führt, dadurch erklärlich, dass diese Ausgabe ein fast unveränderter Abdruck der* Halae Suevorum, 1539. 8. *erschienenen ist, die der Verfasser selbst noch besorgt hatte.* Ita igitur res ad liquidum confessumque perducta est. — 52) Praestat *bibliopolis*. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 15. not. 131. — 53) Muretus, id quod Krebsius Antibarb. p. 390. adnotavit, an *promereri* Latine dicatur, addubitat ad Cic. Philipp. III, 15. ubi nunc *optime de re publica mereri* editur. At

qui praeclare videret, magistros scholarum bonos atque idoneos studiis suis et religioni et rei publicae quam plurimum utilitatis afferre, scholam publicam Norimbergae aperuerat; nec quicquam habebat antiquius, quam ut huic scholae probatae doctrinae ac fidei magistros praeficeret. Commendavit igitur Philippus Melanchthon senatui Eobanum, quem incredibili ac ore et favore inusitato complectebatur, cuius vicem iam dudum cum maxime [54]) doluerat. Senatus saluberrimum consilium communis Germaniae praeceptoris accepit, et eo facilius, quod de Eobani exquisita doctrina satis inter omnes constabat. Invitatus ergo est literis senatus Eobanus ad suscipiendum in illa schola nuper condita munus doctoris rhetorices et poeseos [55]). Accepit conditionem, venit Norimbergam, ab Erfurtensibus sine mora dimissus, et tanta humanitate, tanta comitate ab omnibus, a senatu imprimis exceptus est, quanta Vos, Patres, me excepistis, hoc est summa et maxima, ac laetabundus [56]) sibi gratulatus est, quod divina favente providentia in illam urbem venisset, sicut et egomet mihi gratulor, me in hanc urbem, in hanc Musarum sedem venisse.

VIII. Norimberga, quae Eobanum adeo benigne exceperat, laetissimum domicilium ei per plures annos praebebat. Senatus enim, qui incolumitate et virtute patriae civiumque unice delectaretur et gauderet, prudentissimis consiliis suis et actionibus saluti civium omnium omni modo consulere studebat, et maxime consultum scholae nuper institutae cupiebat. Senatus et cives maximam partem acerrimo religionis purae et castae studio incensi flagrabant [57]); Eobanus vero ipse iam dudum studia sua contulerat ad tuendam et conservandam religionis integritatem et puritatem, Lutheri doctrina, fortitudine, vigilantia restitutam, vindicatam. Omnia autem firmabat summa concordia, cum Erfurti discordia destrueret omnia [58]). Senatus et cives Eobanum, incredibili plausu et gratia omnium

Muretus, nisi fallor, non tam *promereri* pro *mereri*, quam *de re publicâ promereri* pro *mereri* recte dici negavit. Dubia quidem est scriptura loci Cic. Inv. II, 28. ubi in codice Oudendorpii antiquissimo *quam illius pro meritis* pro *quam sit ille promeritus* reperitur. Sed non solum, ut alios aliorum scriptorum locos taceam, apud Q. Cic. de petit. cons. cap. 7. legitur: *ut suo beneficio promereatur*, verum etiam Cic. Off. II, 15. *ad bene de multis promerendum*. Vid. quae Haasius ad Reisigii Gramm. Lat. p. 248. not. 288. adnotavit. — 54) Scribe *maxime*, omisso *cum* vocabulo. Nam *cum maxime* et *iam dudum doluerat* coniungi nequeunt. Vid. Handii Tursellin. Vol. III. p. 599. sqq. — 55) Vid. ad Orat. cap. 2. not. 17. — 56) Rarum vocabulum. Ex Apollinaris grammatici sententia apud Gell. XI, 15. *laetabundus* is dicitur, *qui abunde laetus est*. — 57) Omitte vocabulum *incensi*, quod redundat. Vid. ad Orat. cap. 5. not. 36. — 58) Sunt verba Eobani in Epist. ad Camerarium. *Kuinoel.* Immo Eobanus ad Io. Groningum Lib. I. fol. Q. 1. b. scripsit: *Hic enim summa concordia firmat, apud vos discordia destruit omnia;* et ad eundem fol. S. 5. b. *Quae enim possit esse causa alia tantae calamitatis, quam perpetua ordinum discordia et inter se dissentientes magistratus?* Ad Camerarium autem fol. L. 4. b. *Haec civitas est ipsa discordia; speramus*

docentem, scholaeque famae et existimationi omni modo consulentem, unice suspiciebant, ac luculentissimis benevolentiae maximae documentis ornabant. Homines doctissimi ibi viventes, Hieronymus Baumgartnerus [59]), Bilibaldus Pirkhaymerus [60]), Ioannes Mylius, Lazarus Spenglerus, Wenceslaus Linkius, alii, eum diligebant, admirabantur, et amicitiam intimam cum eo contrahebant. Et nos vel tantulum dubitabimus, cum haec fuerit Eobani sors per septem annos, quibus Norimbergae viveret, quin ei haec urbs laetissimum domicilium praebuerit? Utinam ibi diutius remansisset! utinam Erfurtensium vanas et inanes pollicitationes non audivisset! auditis fidem non habuisset! Sed mens humana nescia futuri saepe spe vana deluditur.

IX. Erfurti nimirum, Auditores, omnes patriae civiumque amantes, qui afflictam academiae conditionem iam dudum deplorarant, assiduis admonitionibus, cohortationibus, obtestationibus suis tandem hoc effecerant, ut senatus scholam deiectam [61]) instaurare decerneret. Sed iniquitas temporum et senatus malevolentia doctores academicos praestantissimos expulerant, expulerant Eobanum quoque, sine quo scholam collapsam restitui non posse, omnibus persuasissimum erat. Senatus igitur, qui tandem resipuerat, Eobani amicis mandabat, sub honestis ei conditionibus persuaderent, ut Erfurtum rediret, et ruentis academiae rebus succurreret [62]). Eobanus initio omnes conditiones aspernabatur, nolebat Norimbergam relinquere, ubi vitam beatissimam viveret. „Ridicule semper, rescribebat Ioanni Groeningo [63]), amico suo, egerunt nostri Erphurdienses. Cur non retinuerunt, quod absque negotio [64]) potuerunt retinere? Cur nunc [65]), quod temere est amissum, sic ridicule et quasi per iocum instaurare conantur? — Non tam facile his temporibus scholae eriguntur, quam paulo ante saevientibus literarum hostibus sunt deiectae [66]).“ Sed cum amici instarent, cum demonstrarent, ei maiorem Erfurti facultatem dari de literis praeclare merendi, eum servatorem et sospitatorem scholae afflictae fore, Eobanus, quem magis delectaret virtutis gravis et plena maiestas, quam splendor lucri pecuniaeque inanis ac levis, tandem amicorum precibus cessit,

tamen meliora. — 59) Kuinoelius Carpzovium secutus scripsit *Paumgartnerus*, quod in *Baumgartnerus* mutavi. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 24. not. 234. — 60) Vulgo *Pirckheimerus* vocatur. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 24. not. 233. — 61) Malim vel *labefactatam*, vel *collapsam*, quod paullo post sequitur. Vereor enim, ut Kuinoelius Eobanum secutus recte dixerit *deiectam*. Vid. not. 66. — 62) Obversabatur Kuinoelio Horat. Od. I, 2, 25. sq. *Quem vocet divum populus ruentis imperi rebus?* — 63) Epp. Lib. I. fol. Q. 8. b. sq. — 64) Praestat *sine negotio* vel *nullo negotio* scribere. Nep. Ages. cap. 5. *quo facto sine negotio, quum voluerint, nos oppriment.* Cic. Epp. ad Att. X, 16. *Siciliam tenere nullo negotio potuit.* Vid. Krebsii Antibarb. p. 75. — 65) Hanc voculam a Kuinoelio omissam ex archetypo addidi. Ex eodem paullo ante pro *potuerant*, quod Kuinoelius posuit, restitui *potuerunt.* — 66) Hic malim *prostratae.* Cic. pro Cluent. cap. 6. *perfregit et prostravit omnia*

et magnum sui desiderium Norimbergae relinquens in eam academiam rediit, quae eum adolescentem instituerat, doctorem audiverat, suspexerat, et admirata fuerat.

X. Venit autem eo cum spe eiusmodi, cui eventus non respondit [67]). Quamvis enim Eobanus nihil intermitteret [68]), quod faceret ad restituendum pristinum academiae florem, ad componendas sedandasque discordias, quae eam in perniciem et exitium redegerant [69]), et viam tutam ac certam scholam collapsam instaurandi monstraret: tamen ii, penes quos academiae administratio erat, sapientiam virtutemque contemnentes ac despicientes consilia optima et saluberrima impediebant, ita, ut salus et incolumitas academiae omnino non restitui, nedum augeri firmarique ullo pacto posset. Hac vero istorum hominum inhumanitate, invidia et temeritate Eobani animum vehementer commotum misereque excruciatum esse, quis dubitet? Nihil profecto laetius ei maerore paene oppresso post quattuor [70]) funestos annos contingere poterat, quam Philippi Magnanimi, Hassiae principis, invitatio, ut munus professoris rhetorices atque poeseos [71]) in academia Marpurgensi susciperet. Ultro lubensque tanquam divinitus oblatum donum hoc munus accipiebat; neque unquam eum [72]) postea huius consilii poenitebat. Marpurgi enim vitam agebat honestissime, et doctrinae, gravitatis, constantiae, pietatis, reliquarumque virtutum suarum uberrimos fructus capiebat. Principi castae religionis et literarum amantissimo unus omnium longe carissimus erat, ab eoque tanto favore ornabatur, ut consuetudine ipsius unice delectaretur, eique liberalitatis et munificentiae suae luculentissima documenta daret; apud omnes reliquos summa auctoritate et gratia florebat; institutio ipsius ab adolescentibus literarum studiosis non cupiditate, sed aviditate summa appetebatur, et fama ingenii atque doctrinae gloriam academiae longe lateque propagabat.

XI. En! hic fuit, Auditores, vitae munerumque Eobani cursus! Quae vero reliquit doctrinae suae documenta, ea satis declarant atque testantur, insigni literarum scientia eum eminuisse, et oratoris atque poetae praestantissimi laudibus dignissimum esse. In epistolis enim ipsius ad diversos ea deprehenditur [73]) orationis Latinae elegantia, copia et ubertas,

cupiditate ac furore. Vid. not. 61. — 67) Sunt verba Camerarii in Vita Eobani p. 53. *Kuinoel.* Huius editionis p. 36. Camerarius *illo* pro *eo* posuit. — 68) Scribe *omitteret.* Aliter enim Cic. Div. I, 34. *ut nihil intermitterent.* Vid Krebsii Antibarb. p. 273. sq. — 69) Haud scio an rectius scribas: *quae eam ad perniciem et exitium redegerant.* Sic Lucret. V, 875. et Cicero apud Lactant. VII, 11. *ad interitum redigere*, et Terent. Heaut. V, 1, 56. *ad inopiam redigere* dixerunt. — 70) Hic quoque *quattuor* pro *quatuor* scripsi. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 2. not. 15. — 71) Vid. ad Orat. cap. 2. not. 17. — 72) Quum Kuinoelius errorem, ut Cicero apud Lactant. VI, 24. loquitur, poenitendo corrigere non posset, mihi pro *ei*, quod ille per imprudentiam lapsus posuerat, *eum* scribendum erat. — 73) Immo *reperitur.* Vid. Krebsii Anti-

ut satis luculenter appareat, formam eius totam compositam esse ad normam scriptorum veterum optimorum. Et quantopere excelluerit facultate poetica, evidenter docent carmina plura ab eo composita, quae etiamnum cum voluptate leguntur. Scripsit inter alia Bucolicorum Idyllia XVII. Heroidum libros III. Silvarum libros IX. Theocritum Latinis versibus elegantissimis reddidit, Homeri Iliada ita carmine Latino expressit, ut Virgilium legere arbitreris, Davidis vero hymnos ex Hebraeo in Latinum ita transtulit, ut summi illorum temporum homines, Lutherus, Melanchthon, Iustus Ionas, Spalatinus, alii, hoc poema egregium approbarent, admirarentur, eique per literas gratularentur. Ex iis, quae hactenus dixi, planissimum esse arbitror, Auditores, Eobani merita in literas et scholas publicas fuisse incredibilia, eaque pio gratoque animo a nobis recolenda esse, ita, ut viri immortalis [74]) exemplum, virtutes et laudes ipsius sequi, imitari, aemulari studeamus.

XII. Atque nunc finem imponere possem huic orationi meae, si non pietatis officia mihi adhuc peragenda restarent. Vobis, Venerandi academiae Patres, immortales gratias ago[75]); Vestrae enim commendationi, quae mihi sponte et ultro contigit, eoque honorificentior fuit, debeo, quod mihi hodie ex hoc loco verba facere licuerit, quod mihi a Serenissimo et Sapientissimo Principe, illiusque Amicis Illustrissimis professio rhetorices atque poeseos[76]) ordinaria in hac alma academia demandata sit; pietate tantum, obsequio, fide, industria et assiduitate beneficia Vestra mihi exhibita Vobis, Venerandi Collegae, remunerari possum; hoc vero modo gratum meum in Vos animum, dum vivam, Vobis, ita me deus amet! declarabo, et ita Vestram benevolentiam mihi nec in posterum defuturam confido. Ad Vos mea sese convertit oratio, Commilitones Ornatissimi! Habebitis me amicum integerrimum ac certissimum, magistrum fidelissimum, qui omnibus viribus acerrimoque studio in eo elaboraturus sit, ut Vestris commodis, quocunque modo id fieri possit, prospiciat inserviatque. Hoc vero tali cum erga Vos animo sim, non dubito, Vos scholis meis in posterum habendis attentos faventesque interfuturos, meque Vestro amore, Vestra caritate haud indignum indicaturos esse.

XIII. Benignissime deus! tuae tutelae commendo Ludovicum, Patrem Patriae Indulgentissimum, eiusque Coniugem Serenissimam, nec non [77]) Principem Hereditarium, spem pa-

barb. p. 175. et quae Kochius ad Mureti Var. Lect. XIII, 14. Vol. III. p. 298. adnotavit. — 74) Hoc cum aliis improbat Krebsius in Antibarb. p. 251. Recte tamen defendisse videtur Lindemannus, qui ad *Vitas Duumvirorum* etc. p. 257. „Non possum, inquit, eorum sententiae accedere, qui putant, *virum immortalem* ita simpliciter dici non posse, sed dicendum esse: *virum immortalis memoriae.* Nam simili modo locutus est Sallustius Iug. cap. 85. *Nemo unquam ignavia immortalis factus est.*" — 75) Sic Plancus in Cic. Epp. ad Div. X, 11. *Immortales ago tibi gratias, agamque dum vivam.* — 76) Vid. ad Orat. cap. 2. not. 17. — 77) Particulae *nec non* pro simplici

triae, vestigiis Parentis Optimi ingredientem, et universam Domum Principalem Augustissimam. Concede Serenissimo Principi nostro ac Domino valetudinem prosperrimam, vitamque beatissimam, ut laetus diu populo beato intersit [78]. Serva illius Amicos Illustrissimos, viros de patria, ecclesia et hac academia immortaliter [79] meritos, felicem iis omnium rerum consiliorumque successum tribue, eosque praemiis meritorum dulcissimis orna. Serva, summe deus! Rectorem huius academiae Magnificum, Cancellarium Perillustrem, reliquosque Patres Conscriptos; orna, cumula eos omnis generis bonis et commodis quam plurimis, atque cuncta eorum studia in promovenda academiae salute utilissima et fructuosissima esse iube. Complectere porro amore tuo hanc academiam, eique incolumitatem, incrementa, aeternitatem largire. Fave vero denique etiam in posterum mihi, coepta et instituta mea felici eventu corona [80], valetudinemque mihi firmam tribue, ut sine ulla interpellatione literarum et huius academiae saluti consulere possim.

Ne utraque pagella praeter typographorum morem vacaret, Eobani carmen in Albertum Durerum, pictorem celeberrimum, de quo Bruckeri *Ehrentempel der deutschen Gelehrsamkeit* p. 50. sqq. et Encyclopaediae ab Erschio et Grubero editae Sect. II. Part. VII. p. 212. velim conferas, ex illius *Operum farraginibus duabus* p. 286. sqq. hic interponere placuit.

SOMNIUM DE ALBERTO DURERO.

Invida Durerum quo tempore fata tulerunt,
Et tantum terris eripuere decus,
Iam ter quinque ierant a nato saecula Christo,
Et quater in cursu septimus annus erat [1].

et minus recte ponuntur. Vid. Krebsii Antibarb. p. 319. Klotz. ad Cic. Tusc. I, 2. et II, 1. atque Haasium ad Reisigii Gramm. Lat. p. 826. — 78) Obversabatur Kuinoelio, id quod nemo non videt, Horat. Od. I, 2, 45. sq. *Serus in coelum redeas, diuque laetus intersis populo Quirini.* — 79) Cicero semel Epp. ad Q. Fr. III, 1, 3. *immortaliter gaudeo* scripsit. Qui *immortaliter mereri* dixerit, neminem reperio. — 80) Haec quoque, uti nostro sermoni conveniunt, ita a Latina consuetudine abhorrent. Scribe igitur: *coepta et instituta mea felicem eventum habere iube.* Virg. Aen. VII, 259. *Dii nostra incepta secundent.*

1) Albertus Durerus, cui Norimbergenses nostra aetate publicum posuere monumentum, d. 20. Mai. a. 1471. natus d. 6. April. a. 1528. decessit. —

Vellera Phryxeae pecudis iam Phoebus obibat,
Florida nativi [2]) tempora veris erant.
Obtulit haud dubio mihi talia somnia monstro,
Quae nox fatalem est prima secuta diem.
Vera loquar, nihil affingam; si mentiar autem,
Summa sit haec, in qua mentiar, hora mihi.
Fessa soporifero prostratus membra cubili
Totus in extrema parte quietis [3]) eram.
Nostra videbatur Durerus limina vultu
Hoc illo ingressus, quo modo vivus erat.
Extimui, non ignarus paulo ante sepultum,
Et tamen officii nomine fortis eram.
Assedit, vultuque parum [4]) linguaque moratus,
Murmure dehinc tremulo dicere visus erat:
Hesse, meos nuper non ultimus inter amicos,
Nunc decet officii te meminisse tui.
Nam si verus eras, ut eras, viventis amicus,
Idem defuncti Manibus esse velis,
Et mea perpetuae transcribere nomina famae,
Addere et in tumulo verba legenda meo.
Finierat; paucis mihi respondere paranti
Attonita exsanguis venit in ossa tremor.
Nam quia praeterita pallentem morte videbam,
Vix potui timida talia voce loqui:
O decus aetatis, Dureri, et gloria nostrae,
Quod petis e nostro carmine iuris habes.
Sponte daturus eram, si non etiam ipse petisses;
Tam tibi perpetuo haec constat, amice, fides.
Multo plura etiam tibi nos debere fatemur,
Paupere possimus quam dare dona manu.
Verba videbatur capite annuere ista locuto,
Toto ipse, ut fugerem, corpore nixus eram.
Iamque id conantem motis ad inania membris
Somnia deseruit plena labore quies.
Frigidus in toto manabat corpore sudor [5]),
Qui iam gratus erat, terruit ante labor.
Protinus Aurorae coelum petiere iugales,
Et nitidum claro lumine mane fuit.
Quassabam calamos, digitosque in verba coegi,
Quaeque vides subito scripta labore dedi.
Sed licet ipse neges, oraclum haec visa fuisse,
Hoc tamen Alberti nomine carmen ama.


2) Praestiterit *nascentis*. — 3) In utraque editione Francofurtensi legitur *quietus*, cui in margine alterius a. 1549. paratae manus antiqua substituit *quietis*, quod recepi. — 4) Vocabulum *parum* pro *paullum* poni non potest. Ovid. Met. VIII, 811. *paullumque morata*. — 5) Obversabatur Eobano Virg. Aen. III, 175. *Tum gelidus toto manabat corpore sudor*.

HELII EOBANI HESSI

CARMEN

DE PUGNA STUDENTUM ERPHORDIENSIUM.

De pugna studentum Erphordiensium
cum quibusdam coniuratis nebulonibus
Eobani Hessi Francobergii Carmen.



DE PUGNA
STUDENTUM ERPHORDIENSIUM
CUM QUIBUSDAM CONIURATIS NEBULONIBUS
EOBANI HESSI,
FRANCOBERGII,
CARMEN.

Fervidus ardentes fecit iam Procyon aestus
Et gravis ignivomo splenduit axe canis,
Quum nova non solito tumuerunt bella tumultu,
Bella Sophocleo commemoranda pede.
Et meminisse iuvat. Quo nam victoria maior,
Tanto plus belli commeminisse iuvat.
Iam rude festivos vulgus celebrabat honores,
Sacra Panomphaeo lux erat illa deo.
Baccho indulgebant consueto more studentes,

1. fecit] *foecit.* Ex consuetudine Latina *faciebat*, et versu sequenti *splendebat* erat scribendum. Vid. Krebsii Antibarb. p. 32. sq. et quae ad vs. 13. et 85. adnotavi. — 3. Quum] *Quom.* — 5. Quo nam] Non opus est, ut *Nam quo* scribamus. Sicuti enim Virgilius *namque*, quod Livius et alii scriptores, id quod Reisigius Gramm. Lat. p. 462. sq. perperam negavit, in soluta quoque oratione ita posuerunt, sic Horatius cum aliis poetis, quos Eobanus etiam in carmine ad Posteritatem vs. 34. et Stigelius in Addit. I. vs. 17. secuti sunt, *nam* aliquoties post aliam vocem collocavit. Vid. Heindorf. ad Horat. Sat. II, 3, 20. ibique adde Epp. II, 1, 186. — 8. Panomphaeo] *Panompheo.* Ovid. Met. XI, 198. *Ara Panomphaeo vetus est sacrata Tonanti.* Homer. Iliad. VIII, 250. *Ἔνθα Πανομφαίῳ Ζηνὶ ῥέζεσκον Ἀχαιοί*, ad quem locum Eustathius: *Πανομφαῖος Ζεὺς κατὰ μὲν ἀλληγορίαν, εἰς ὃν πᾶσα ὀμφὴ ἤγουν ἁπλῶς φωνὴ ἀνάγεται. — κατὰ δὲ μῦθον πανομφαῖος ἐστὶν ὁ πάσης μαντείας αἴτιος.* — 9. Baccho] *Bacho.* — studentes] Literarum studiosos, qui vs. 41. *pubes studiosa* vocantur, licet a Plinio et aequalibus *studere* et *studiosus*, quod etiam a Cicerone de opt. gen. orat. cap. 5. quem locum Dietericus in *Quaestionibus grammaticis* p. 489. praetermisit, de eloquentiae studioso usurpatur, simpliciter ponantur, hic et vs. 65. minus recte *studentes* appellari, vix opus est, ut moneam. Vid. Krebsii Antibarb. p. 460. sq. Illud autem silentio non praetereundum, quod Eobanus, neglecta positione debili, *more studentes* scripsit, ut vs. 14. *ipse stupet*, vs. 38. *Sisyphe stulte*, vs. 65. *vertere studentes*, vs. 68. *Talia sperato*, vs. 100. *Nil nisi sperati*, Invect. in bonarum artium detractorem vs. 18. *rodere scripta*, Addit. III. vs. 30. *parte statera*, vs. 57. *saecula Christo*, vs. 121. *omnia scribo*, Addit. V. vs. 23. *saecula Christo*, Addit. IX, vs. 16.

Quos celebri fovet Erphordia docta sinu.
Suavia dulcisonae fundebant carmina voces,

Recta stat, vs. 19. *publica scripta*, vs. 33. *facientia stagna*, vs. 46. *regia sce ptra*, Addit. XIV. vs. 3. *Tu mihi spirantem*, vs. 4. *Haec tibi scripturo*, e *mittere, Christe, velis*, Addit. XVIII. vs. 4. *moenia spectat*, et in elogio, quo Camerarius Narrat. cap. 31. protulit, *Nubila scandentem* etc. Idem fec‹ rui alii eiusdem aetatis poetae, veluti Camerarius, qui Narrat. cap. 21. [*Fortun scelestos*, et in Epiced. Eobani vs. 15. *insignia scilicet anni* posuit, atque Mi cyllus, qui in Epiced. Eobani vs. 75. *saecula Christum*, vs. 166. *nobilitat schola*, vs. 178. *Quintiliane, scholas*, vs. 194. *certa scholae*, vs. 263. *nomin sparsim*, et vs. 378. *ulla statu* scripsit, ut alios taceam. Neque hoc sibi sum serunt sine veterum poetarum Latinorum auctoritate, quos et ipsos, quun Graeci, de quibus Franc. Spitzneri librum: *De versu Graecorum heroico, maxime Homerico, Lips.* 1816. velim consulas, exemplo praeivissent, hac in r ita versatos esse constat, ut vocales breves ante vocabula a literis *sc*, *scr sm* sive *zm*, *sp*, *spr*, *squ*, *st* et *str* incipientia rarius producerent, saepiu corriperent. Locorum tantum non omnium, in quibus alterutrum fecerunt indicem Preusserus, disciplinae Afranae quondam alumnus, qui nunc procul a patria in insula Havana commoratur, olim mecum communicavit; quen in literarum et temporum ordinem accuratius redactum hic subiicere placuit

I. Vocales breves producuntur 1) ante *sc:* Virg. Aen. IX, 37. Auson Eclogar. *Signa coelestia*, vs. 8. — 2) ante *sp:* Lucret. I, 390. Catull. LXIV 186. Virg. Aen. VI, 687. Tibull. I, 5, 28. Sil. Ital. X, 122. XVII, 546. Iuvenal. VIII, 107. Martial. II, 66, 8. Auson. Eclogar. *Q. Ciceronis versus* etc vs. 12. — 3) ante *st:* Lucan. V, 118. Stat. Theb. VI, 551. — 4) ante *str* Sil. Ital. IX, 575. cui adde Martial. V, 69, 3.

II. Vocales breves corripiuntur 1) ante *sc:* Lucret. IV, 477. Catull LXIV, 358. Horat. Sat. II, 2, 36. Virg. Cir. vs. 130. Moret. vs. 36. Propert. III, 9, 59. III, 17, 21. Ovid. Met. IV, 280. Fast. VI, 305. Gall. Eleg vs. 15. et 30. — 2) ante *scr:* Horat. Sat. I, 5, 35. Ovid. Heroid. V, 26 XX, 213. Trist. V, 12, 35. Epp. ex Pont. III, 7, 7. — 3) ante *sm* sive *zm* Lucret. II, 804. IV, 1119. Tibull. I, 1, 51. II, 4, 27. Propert. II, 13, 43 Ovid. Am. II, 6, 21. Halieut. vs. 120. Met. II, 24. Lucan. X, 121. Stat Theb. II, 276. Priap. LXVIII, 8. Claudian. VIII, 586. X, 88. XXII, 89 XXVIII, 563. LXX, 7. LXXIII, 8. quibus adde Lactant. de Phoen. vs. 135 ubi pariter atque in ceteris locis, quum ab Ovid. Halieut. vs. 120. et Priap LXVIII, 8. discesseris, ad unum omnibus vocabulum *smaragdus* sive *zmaragdus* in clausula hexametri ponitur. — 4) ante *sp:* Lucret. V, 48. et 80 VI, 1186. Horat. Epod. XVII, 26. Virg. Aen. XI, 309. Propert. III, 9, 53 IV, 1, 41. IV, 4, 46. Ovid. A. A. III, 726. Met. III, 66. XII, 438. Epp. ex Pont. II, 2, 34. Sil. Ital. XIV, 296. ubi tamen pro *quia* rectius *quae* scribitur, Auson. Lud. sept. sapient. *Chilon*, vs. 1. Paulin. ad Auson. Epist. III 164. — 5) ante *spr:* Auson. Lud. sept. sapient. *Chilon*, vs. 15. — 6) ante *squ:* Lucret. I, 373. Virg. Cul. vs. 194. — 7) ante *st:* Lucret. IV, 776. VI 943. Horat. Sat. I, 2, 30. et 71. I, 10, 72. II, 3, 43. et 296. Propert. IV, 7 51. Ovid. Am. III, 3, 6. Met. I, 38. Epp. ex Pont. II, 4, 7. II, 10, 25. Stat Achill. I, 348. Auson. Comm. Profess. Burdigal. XXII, 5. — 8) ante *str:* Lucret. IV, 847. VI, 194. Horat. Sat. I, 3. 44. Propert. IV, 5, 17. Ovid. A. A. III, 289.

Apparet igitur et exstat, Laurent. Santenium, re non satis explorata in *Commentarr. societat. philolog. Lips.* Vol. II. Part. I. p. 146. et 152 haec adnotasse ad Hieron. Balbi verba p. 102. ed. Retzer. *numerosaque stagna* et *moenia structa:* „Durities, quam semel Virgilius, bis terve Propertius, nunquam admiserunt Tibullus, Catullus, Ovidius;“ et ad eiusdem verba p. 156. *mare scindere:* „Quamvis Propertius bis terve in debilem positionem peccaverit, est tamen, ubi et mollius loqui maluit, III, 7, 35. *mare findo.*“ Eiusmodi salebras autem, a quibus nostra quoque aetate poetae meliores

Qualia Sirenes vix cecinisse ferunt.
Illic argutos fudit cava tibia cantus,
Quales Misenus Triton et ipse stupet,
Quum subito insani turbarunt tanta furores
Gaudia: tristitia gaudia nulla carent.
Sed non tristitiam, nullum sensere furorem
Gaudia, laetitia post celebrata nova.
Ecce caterva ingens subito cumulata furore
Excitat irata Martia tela manu.
Rustica gens, rude vulgus, iners mechanica turba
In nova iurato proelia Marte tument.
Arma omnes capiunt, enses hastasque verutas,
Telaque plumbatos exitiosa globos.
Incedunt formata acie, ceu Dorica contra
Castra ferus celeres duceret Hector equos.
Tergora tensa boum crepitant, tuba ductilis auras
Verberat et sonitu clangit ad astra gravi.

quam versificatores ne in lyricis quidem et elegiacis carminibus sibi satis cavent, utpote prosae tantummodo orationi convenientes, omnino esse devitandas, recte censuit Hermannus, iudex maxime idoneus, in Poelitii Repertor. a. 1833. No. 11. p. 324. — 10. fovet Erphordia] Pentametri huiusmodi multo minus sunt ferendi, quam Catulliani, quorum durities elisione quodammodo emollitur. Vid. Fiedleri *Verskunst der lateinischen Sprache*, *Wesel*, 1829. p. 102. — 11. dulcisonae] Sidon. VI, 5. *Dulcisonum quatitur fidibus dum pectine murmur.* Abstinendum tamen hoc vocabulo, quod apud classicos scriptores non reperitur. — 12. Sirenes] *Syrenes.* — 13. fudit] Praestiterit *fundebat.* Vid. quae supra ad vs. 1. adnotavi. — tibia] *tybia.* Lucret. II, 620. *Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentis.* — 14. Misenus] *Mysenus.* Cf. Virg. Aen. VI, 162. sqq. — Triton] Cf. Ovid. Met. I, 333. sqq. Eobanus pro *tubicine* vel *buccinatore* posuit. — 15. Quum] *Quom.* — 17. tristitiam] *tristiciam.* Sed vs. 16. *tristitia* scriptum. — 18. laetitia] *laeticia.* — 19. cumulata] Hoc vocabulum Latinis sic non dicitur. Curt. III, 11, 10. de caesis: *circa eos cumulata erat peditum equitumque obscurior turba.* Malim igitur *densata* ex Virg. Aen. XII, 264. *Vos unanimi densate catervas.* — 20. tela] *taela.* Pro *excitat*, quod praecedit, malim *expedit.* Liv. XXXVIII, 25. *expedire tela animosque equitibus iussis*, et paullo post: *quum tela equosque expedissent.* — 21. mechanica] *moechanica.* At *opificum vulgus et sellularii*, qui Liv. VIII, 20. commemorantur, *mechanica turba* dici non possunt; praesertim quum antepenultima vocabuli *mechanicus* syllaba corripiatur. — 23. hastasque verutas] Virg. Georg. II, 168. *Volscosque verutos*, id est *veru seu veruto* armatos; sed Grat. Cyneget. vs. 120. *tum*, inquit, *stricta verutis dentibus et gemina subiere hastilia furca*, ubi vid. quae Burmannus adnotavit. — 24. Telaque] *Taelaque.* — exitiosa] *exiciosa*, ut vs. 98. *exicialis.* — 25. Incedunt] *Incaedunt.* — formata acie] Scribe *instructa acie* sive potius *acie structa.* Virg. Aen. IX, 42. *Neu struere auderent aciem, neu credere campo.* Latini enim, quos *firmare aciem*, quod ab hoc loco alienum esse apparet, crebro usurpasse Gronovius et Drakenborchius ad Liv. II, 30, 2. docuerunt, *formare aciem* non dicunt. — 27. Tergora tensa boum] Haec Eobanus a poeta nescio quo mutuatus esse videtur. Similiter Ovid. Fast. IV, 342. *Et feriunt molles taurea terga manus.* De *tensus* et *tentus* vid. Ruddimanni Instit. Gramm. Lat. Part. I. p. 234. sq. — tuba ductilis] Plinius quidem H. N. XXXIV, 8. aes regulare ab aliis *ductile* appellatum esse dicit. Vereor tamen, ut tuba recte dicatur *ductilis*, quod pro *ex lento aere ducta* poni nequit. Malim *tortilis* ex Ovid. Met. I, 335. sq. *Cava buccina sumitur illi*,

Iamque sacras venti divinae ad Palladis aedes
  Ingeminant duplici singula verba sono.
Fit clamor: puto Stentoreos nihil esse boatus,
  Quale tonat rapido Sicelis Aetna Iovi.
Insuper et furiis nos et clamore lacessunt,
  Et rabidis blactrant scandala multa genis.
Turpia verba vomunt, infamia nomina iactant,
  Qualia damnatos sacrilegosque decent;
Qualia Tantaleos Ixioniosque furores,
  Quaeque decent facinus, Sisyphe stulte, tuum;
Quae deceant Procnesque virum Scironaque saevum,
  Qualia vix Caci facta decere putem.
His accensa novos pubes studiosa furores
  Concipit, et rapida surgit in arma manu.
Exsiliunt, enses manibus vibrantur acuti;
  Palladios iuvenes Martius urget amor.
Et furor audaces et laesae iniuria famae
  Fecit, et immites iussit habere manus.
Concurrunt miscentque manus, ensesque colorat
  Victrices iuvenum fusus ab hoste cruor.

tortilis, in latum quae turbine crescit ab imo, quae tamen Tritonis *conchae* magis conveniunt, quam *tubae directi aeris*, ut Ovidius eiusdem libri vs. 98. loquitur. — 29. venti] Rectius Horat. Sat. I, 9, 35. *Ventum erat ad Vestae*, et Lucan. IX, 511. *Ventum erat ad templum*. Latini enim *ventum est* et *perventum est* dicunt, et non nisi *praeventus*, quod Eobanus vs. 89. recte posuit, passive usurpare solent. Sed qui aliquo pervenerunt, *ad locum venti* non dicuntur. — 31. Stentoreos] Homer. Iliad. V, 785. Stentor χαλκεόφωνος vocatur. Arnob. II. p. 97. *Heroas infantes sub uberibus matrum Stentoreos edidisse vagitus*. — boatus] *Boatus*. Cadentis Latinitatis vocabulum. Appulei. Met. III. Tom. I. p. 43. ed. Altenburg. *praeconis amplo boatu citatus*. — 32. Quale] Hoc vocabulum, quamvis Graeci οἷον dicant, pro *qualiter* poni non licet. Ex poetarum Latinorum more *qualis* scribendum et cum nomine *Aetna* coniungendum erat. — rapido] Quid hoc sibi velit, non intelligo. Praestiterit *rabido*, id est *saevienti* seu *irato*. — Aetna] *Aethna*. — 34. blactrant] Sic Eobanus pro *blacterant* scripsit. Auct. Carm. de Philomela vs. 56. *Blacterat hinc aries, et pia balat ovis*, ex quo loco apparet, Latinum *blacterare* Graeco βληχᾶσθαι et nostro *blöken* respondere. Perperam enim alii, quos Georges in Lex. Germ. Lat. Vol. I. col. 620. sequitur, scribendum censuerunt *blaterat*, cuius verbi syllabam antepenultimam corripi, intelligitur ex Horat. Sat. II, 7, 35. *cum magno blateras clamore furisque*. — scandala] Graecum hoc vocabulum, quod apud classicos Romanorum scriptores frustra quaeras, pro *conviciis, probris* et *maledictis* positum videtur. — genis] Pro *ore* sive *bucca* hoc vocabulum nusquam ponitur. Vid. Cic. de N. D. II, 57. ubi *genae* oculos ab inferiore parte tutari dicuntur. — 35. vomunt] Id est *effutiunt*. Martial. XI, 90, 6. *Accius et quidquid Pacuviusque vomunt*. — 38. Sisyphe] *Sysiphe*. — 39. Procnesque] *Prognesque*. — Scironaque] *Scyronaque*. — 41. His] *Hiis*. In codicibus manu scriptis *hiis* pro *iis* positum in *his* abire solet. — 43. Exsiliunt] *Exiliunt*. — 46. Fecit] *Foecit*. — 47. miscentque manus] Pro *manus conserunt*. Tacit. Annal. II, 15. *ubi miscuerint manus*. Aliter Propert. II, 27, 8. *Quum Mavors dubias miscet utrinque manus*, et Tacit. Annal. XV, 28. *pedes uterque dextras miscuere*. Sic etiam *proelia miscere* aliter Virg. Georg. II, 282. sq. aliter Tibull. I, 3, 64. dicitur. — 48. Victrices] Immo *victores*, quum vocabulum *ensis* sit generis masculini; quamvis La-

Culmine saxa volant, densis velut imbribus aether
    Solvitur, et multo verbere tangit humum.
Pars tecta ascendunt, patulis pars tela fenestris
    Hostibus eiiciunt perniciosa suis.
Diva suis vires Pallas cultoribus affert,
    Et timidos flexo territat angue viros.
Delphicus hostiles arcus vibrabat Apollo,
    Torve quibus Python tu quoque victus obis.
Vicimus, inque fugam victos convertimus hostes,
    Quos timor impigros iussit habere pedes.
Sic furiosa cohors didicit, quid Pallados arma,
    Quid possint molles in fera bella manus.
Torva Medusaei facies obiecta capilli
    Exsuperat flammas, Mars furibunde, tuas.
Sic fugiunt; fugisse quidem sic profuit illis:
    Tutior hostis enim victus ab hoste fuga est.
Inque fugam tamen hos pauci vertere studentes:
    Namque alios clausae detinuere fores.
Rustice sic celebres peperisti stulte triumphos,
    Talia sperato Marte tropaea refers.
Et iam clausa dies summo decessit Olympo,
    Et vehitur nivea casta Diana rota.
Pectora nec facilem ceperunt laesa quietem,
    Victa nec optatus lumina somnus adit.
Ille dolet vulnus accepti flebilis ictus,
    Hic queritur viduo tempora laesa toro.

tini *arma victricia* dicant, et Claudian. XXVIII, 24. sq. scripserit: *et certius omina surgunt, victrici concepta solo*, contra praeceptum Servii ad Virg. Aen. III, 54. ubi: „Omnia, inquit, nomina a verbo venientia, quum in *or* exeunt, masculina sunt, ut *victor*; quum in *trix*, feminina sunt, ut *victrix*. Neutra vero non faciunt nisi tantum ex numero plurali: unde est *victricia*.“ Praeterea cf. Barth. ad Claudian. I, 137. Ceterum Ovidius quoque Trist. IV, 2, 47. de Augusto triumphaturo dixit: *in curru victore veheris*. — 50. et multo verbere tangit humum] Brevius et gravius Virg. Aen. IX, 669. *Verberat imber humum*. — 51. tela] *taela*. — 52. eiiciunt] Vide, ne rectius scribas *emittunt*. Liv. XXVIII, 33. *emissis levibus telis*. — 54. flexo] Malim *torto* ex Virg. Georg. III, 38. et Ovid. Met. II, 138. vel *torvo* ex Virg. Aen. VI, 571. et Cic. de N. D. II, 42. in Arateis. — 55. vibrabat] Iacula *vibrantur*, arcus *curvatur* sive *sinuatur*. Propterea scribe *curvabat* vel *sinuabat*. Stat. Achill. I, 487. *Ingentemque manu curvaret Delius arcum*, et Ovid. Met. VIII, 380. sq. *celerem Tegeaea sagittam imposuit nervo, sinuatoque expulit arcu*. — 56. Python] *Phython*. — 61. Medusaei] *Medusei*. Illud praestat. — 62. Exsuperat] *Exuperat*. — 68. tropaea] *trophea*, ut vs. 104. Pessime. Gr. τρόπαιον. — 69. clausa dies] Similiter Horat. Od. II, 4, 24. *claudere lustrum* dixit. Aliter Virg. Aen. I, 374. *Ante diem clauso componet vesper Olympo*. — 71. ceperunt] *coeperunt*. Vitiose. — 73. vulnus] *Vulnus*. Huic vocabulo alibi quoque additur genitivus rei, qua vulnus est inflictum. Propert. I, 1, 13. *Hylaei percussus vulnere rami*, et Valer. Flacc. VI, 653. sq. *Aesoniae vulnus fatale sed hastae per clipeum per pectus abit*. De ultima vocabuli *vulnus* syllaba propter arsin producta vid. Huschk. ad Tibull. II, 2, 5. et Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. Part. II, p. 744. sqq. — 74. toro] *thoro*.

Pars medicos quaerunt, pars accersire videntur:
    Alter habet promptam, postulat alter opem.
Sol redit Oceano, festa sollemnia luce
    Chratifero redeunt concelebranda patri.
Conveniunt, iterumque accensis mentibus omnes
    Inveniunt varios turba profana dolos.
Scilicet hesternae memores iurata diei
    Bella parant animis asperiora pares.
Tantus habet fatui livor praecordia vulgi;
    Invide sic dignum rustice nomen habes.
Nec mora, correptis incedunt protinus armis
    Una cohors numero multiplicata novo,
Quum levis inceptum prohibens Fortuna laborem
    Obstitit, ah certas nescia ferre vices.
Namque novo rabidi praeventi Marte latrones
    Fortiter inceptae poenituere viae.
Urbis enim domini fortes civilibus armis
    Cepere insanos Marte favente viros.
Hinc meritos carcer poenas manet: omnibus una
    Digna domus tanto crimine carcer erat.
Sed iam speratum invidit Fortuna triumphum,
    Promisit pueris quem dea glauca suis.
Venissent utinam quantumvis fortibus armis:
    Illa dies ipsis exitialis erat.
Iam collecta aderant collectis viribus arma:
    Nil nisi sperati copia Martis abest.

Haec scriptura effecit, ut Tibull. IV, 2, 24. et alibi *choro* in *thoro* sive *toro* abiret. Vocabulum *viduo*, quod Eobanus ex Ovid. Heróid. XVI, 316. petiisse videtur, ab hoc loco alienum est. — 75. accersire] Latinos *accersiri* pro *accersi* dixisse, non est quod dubitemus. Vid. Kritz. ad Sallust. Iug. cap. 62, 4. et Rud. Stuerenburgii *Commentat. de verbis arcessendi et accersendi, Hildburghusae*, 1839. p. 9. sq. Eosdem *accersire* pro *accersere* posuisse, non crediderim. — 77. Oceano] *Occeano*. Mira sane scriptura. — sollemnia] *solennia*. Illud praestat. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 17. not. 146. — 78. Chratifero] Quid hoc sibi velit, me non intelligere fateor. Num Eobanus, novo vocabulo conficto, scripsit *gratifero*, id est *χαριτοδότῃ* sive *gratiae datori?* — 80. profana] *prophana*. — 82. parant] *paanrt*. Typographum peccasse apparet. — 85. incedunt] Immo *incedebant*. Vid. quae ad vs. 1. adnotavi. — 87. Quum] *Quom*. — inceptum] *incoeptum*. — 89. praeventi] *preventi*. Vid. quae supra ad vs. 29. adnotavi. — 90. inceptae] *incoeptae*. Plaut. Cas. IV, 4, 2. *Iter incipe hoc*. — poenituere] Pro *latrones rabidos inceptae viae poenituit*, Eobanus perperam *latrones rabidi inceptae viae poenituere* scripsit. — 92. Cepere] *Coepere*. Vitiose. — Marte favente] Petitum ex Tibull. I, 10, 30. *Sternat et adversos Marte favente duces*. — 93. meritos] *meritas*. Sic Ovid. Fast. IV, 239. *meritas dare sanguine poenas*. Huic tamen, quod typographi negligentiae tribuendum videtur, illud probabili, opinor, emendatione substitui. Veiba enim ita sunt iungenda: *Hinc carcer manet meritos poenas*, quae in hunc numerorum ordinem redigere malim: *Hinc meritos poenas carcer manet* etc. — 95. Fortuna] *fortuna*. — 98. exitialis] *exicialis*, ut vs. 24. *exiciosa*. — 100. sperati] *spaerati*. Supra tamen vs. 68. *sperato* et 95. *speratum*. — 101. Fortuna] *fortuna*. — 103. cantatos] Malim *perpetuos*. Displicet enim *cantatos palmae victricis honores cecini*, quum *cantatus*

Consuluit nostrae forsan Fortuna saluti,
Laus siquidem pugnae nostra futura fuit.
Hos ego cantatos palmae victricis honores
Emerita cecini laude tropaea ferens.
Hoc ego Palladia vobis Eobanus, honestis
Obediens votis, struximus arte decus.
Palladii vobis iuvenes haec scripsimus, inquam,
Vester ut aeterno nomine duret honor.

Τέλος.

IN BONARUM ARTIUM DETRACTOREM INVECTIVUM.

Zoilē mordaci quid latras dente bilinguis,
Quid vomis e labris verba canina tuis?
Quid dentes acuis, balatro? latrator Anubis,
Quid laceras doctos, bellua trunca, viros?
I, miser, immundae sordes versato cloacae,
Et procul a doctis siste, proterve, pedem.
Non decet obscoenas iactare in balsama sordes,
Nec vitreo turpes tingier amne sues.
Non tibi Cecropiae loca sunt calcanda Minervae:
Te decet ignavum foeda cloaca pecus.
Sola velut tacitis ululat sub nocte latebris
Noctua, pennigeras dum sopor ambit aves:

significet idem quod *carmine celebratus*. Ovid. Am. II, 1, 29. *cantatus Achil-
les.* — 104. tropaea] *trophea*, ut vs. 68. — 106. struximus] Hoc ad prae-
cedentia *ego Eobanus* minus commode refertur.

1. latras] Displicet adiectum *mordaci dente*, ut infra vs. 17. *dente mi-
naci.* — 2. verba canina] Ovid. in Ibin vs. 232. *Latrat et in toto verba ca-
nina foro.* — 3. latrator Anubis] Ex Virg. Aen. VIII, 698. coll. Propert.
III, 11, 41. ubi itidem de Cleopatra: *Ausa Iovi nostro latrantem opponere
Anubin.* — 4. bellua] *belua.* Huic illud praeferendum videri, monuit Schnei-
derus Gramm. Lat. Vol. I. Part. II. p. 409. sq. Idem convicium in homi-
nem stupidum Terent. Eunuch. IV, 4, 37. et Phorm. IV, 2, 11. legitur.
Cur *bellua* dicatur *trunca*, non satis perspicio. Vid. infra vs. 20. Propertius
tamen IV, 8, 42. de nano: *Iactabat truncas ad cava buxa manus*, ubi *truncus*
est idem quod *mancus*, nostrum *verkrüppelt.* — 5. versato] Sic Eobanus
etiam infra vs. 15. *cohibeto*, et Theod. Beza Addit. XX. vs. 7. sive 9. *sae-
vito* posuit. Ultimam tamen imperativi syllabam vix ac ne vix quidem cor-
ripere licebit. Veteres poetas Latinos in aliis quoque verborum formis *o*
finale non nisi raro corripuisse, docuit Lennep. ad Ovid. Heroid. XV, 32.
p. 247. sqq. Cf. etiam, quae ad Micylli Epiced. Eobani vs. 365. adnotavi.
— 6. doctis] Pro *hominibus doctis*, quod vulgo praeferunt. Vid. Krebsii An-
tibarb. p. 187. cui recte adstipulatus est Dietericus in *Quaestionibus gram-
maticis* p. 485. — 7. balsama] *Balsama.* — 8. turpes] *turpes*, typothetae
culpa. — 12. ambit] Malim *urget.* Vereor enim, ut Latini verbum *ambire*

Sic quos praesentes non audes carpere, damnas
    Absentes verbis, livide, saepe tuis.
Improba lingua sile, tantos cohibeto furores:
    Aut laceret rabidus labra proterva canis.
Et modo ni cesses dente oblatrare minaci,
    Et bona pestiferis rodere scripta modis,
Cornua torva tuae cervici impinget Apelles,
    Et statuet Phrygii tempora trunca Midae.
Saeve tuos igitur latratus pone Molosse;
    Mollia magnanimus retia frangit aper.
Exedat rapido volucris tua corda Promethei
    Gutture, Caucaseis surripienda feris.
I, miser, et fato vitam diffunde Lycambae;
    Causa etenim fati garrula lingua tui.

LAUS DEO.

Expressum in alma Universitate Erphordiensi
typis Wolfii Sturmer Anno M. D. VI.

ita usurpaverint. Virg. Aen. II, 253. *sopor fessos complectitur artus.* — 15. cohibeto] De ultima imperativi syllaba insolentius correpta vid. quae supra ad vs. 5. adnotavi. — 17. modo] Hoc Eobanus perperam pro *nunc*, *statim*, *illico* posuisse videtur. Vid. Handii Tursellin. Vol. III. p. 641. sqq. — dente oblatrare minaci] Verbo *oblatrare* usi sunt Senec. de ira III, 43. *Quid illum oblatrantem tibi exterrere tentas?* et Sil. Ital. VIII, 249. *Infima dum vulgi fovet, oblatratque senatum.* De huius verbi structura cf. Bentlei. ad Horat. Sat. II, 1, 85. et de *dente minaci* vid. quae supra ad vs. 1. diximus. — 19. tuae] *tuo*, quod, licet Priscian. V, 8. Vol. I. p. 195. ed. Krehl. Latinos vetustissimos *hic* et *haec cervix* dixisse testetur, in illud mutare non dubitavi. — cervici] Immo *capiti* vel *fronti*, pro quibus *cervici* poni non potest. Ovid. Met. III, 139. *alienaque cornua fronti addita.* — impinget] Id est *invito tibi addet.* Sic Cic. Tusc. III, 19. *huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat;* idemque Epp. ad Att. VI, 1. et Senec. Epist. 95. *impingere alicui epistolam* dixerunt. Nam Eobanum, verbis *pangere* et *pingere* per errorem confusis, *impingere* pro *appingere*, quod Horat. Epist. ad Pis. vs. 30. legitur, sive *pingendo addere* posuisse, non crediderim. — 20. statuet] Hoc ab Eobano minus recte pro *repraesentabit* positum esse videtur. — tempora trunca] Cur Midae tempora, quae propter aures asininas ab Apolline iis additas Ovid. Met. XI, 180. *turpi onerata pudore* dicuntur, ab Eobano *trunca* appellentur, non perspicio. Vid. quae supra ad vs. 4. adnotavi. — 21. Molosse] *molosse.* Cf. Heindorf. ad Horat. Sat. II, 6, 114. — 22. retia] *Rhaecia*, id est *Rhaetia* sive *Raetia*, de cuius nominis scriptura vide quos citavit Duebner. ad Iustin. XX, 5, 10. Eobanus tamen, cui doctior scilicet typographus non paruisse videtur, haud dubie scripsit *retia*, quod perquam ridicule in *Rhaecia* abiisse apparet. — frangit] Praestat *rumpit.* Horat. Od. I, 1, 28. *Seu rupit teretes Marsus aper plagas.* — 23. Exedat] *Exaedat*, quae quidem perversa huius verbi scriptura Eobanum induxit, ut penultimam eius syllabam produceret. Scribe igitur, si placet, *arrodat* et paullo post *rostro* pro *gutture* repone. — 25. vitam diffunde] Sic Virg. Aen. X, 903. *Undantique animam diffundit in arma cruore*, pro quo Aen. I, 98. *animam effundere* dixit. — Lycambae] *Licambis*, quod, quum viro illi Thebano Archilochi iambis ad laqueum compulso nomen *Λυκάμβης* esset, necessario in illud mutandum erat. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Vol. II. Part. I. p. 35. atque Horat. Epod. VI, 13. et Epp. I, 19, 25. ibique interpretes.



V.K.

ADDITAMENTA.

I.

Quum in praecedenti Narratione p. 18. et seqq. Mutiani Ruffi facta sit mentio, haud inconveniens [1]) duximus, Io. Stigelii in eius obitum subnectere carmen cum epistola ad Camerarium [2]), qua ipsi pro Narratione hac de Eobano sibi missa gratias agit. Et quia p. 43. Micylli poematis in obitum eiusdem Eobani Camerarius indicium fecit [3]), adiungemus et istam, prolixam [4]) licet, elegiam [5]).

IOANNES STIGELIUS

IOACHIMO CAMERARIO

NEAPOLI OTIUM CUM MUSIS AGENTI

AMICO CARISSIMO

S. D.

Domo abfui hoc octiduum [6]). Reverso vero redditum mihi fuit scriptum de Eobano tuum, quod perlegi avidissime. Ac mirum est quantopere me delectarit non modo historia illorum temporum, sed etiam genus dicendi tuum, purum ac [7]) elegans, et ad res, quas exprimit, accommodatissimum. Sed quia idem mihi accidit, quod sitientibus solet, qui festinabundi [8]) primo impetu oblata frigida, ingurgitantes sese, velut abutuntur, mox cum paulatim degustant, maiorem voluptatem ex sensu saporis capiunt, sic ego non remittam hoc scriptum, priusquam eius iucundissima lectione sim cum intimae delectationis sensu ita exsatiatus, ut aliis quoque inde commemorare, quae meminerim, possim. Quod cupis a me adiici, si quid mihi de illis temporibus cognitum sit, plane tu quidem ex lapide argentum. Quid enim sciam ego, qui admodum adolescens in notitiam Eobani iam senis perveni? Mutiani nomen celebre iam

1) Praestat *alienum*. Vocabulum *inconveniens* Latinis nusquam ita dicitur. — 2) Hanc edidit Camerarius Epp. Lib. I. fol. b. 5. a. sq. — 3) Immo *mentionem fecit*. — 4) Hoc vocabulum, quo Carpzovius aliquoties usus est, Latini sic usurpare non solent. Scribe *longam* sive *longiorem*. Macrobius tantum Saturn. III, 7. *Cuius exemplum*, inquit, *ne sim prolixus*, *omisi*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 390. — 5) Haec elegia legitur in Iac. Micylli, cuius carmina Iulius filius Francofurti a. 1564. edidit, Silvar. Lib. I. p. 41. sqq. — 6) Hoc vocabulum, quod Eobanus quoque in epistolis ad Camerarium aliquoties usurpavit, nusquam reperitur. Romani enim tempus in quinos, denos et quinos denos dies describebant. Vid. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 3, 16. — 7) Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 2. not. 13. — 8) Valer. Max. II, 8, 5.

puer sum admiratus unice, de quo quidem audivi permulta, cognitu atque imitatione digna, quae successu temporis [9]) publica perturbatio mihi exemit e memoria, aut ita pervertit, ut res quidem aliquas commemorare possim, ordinem tamen et modum amiserim. Memini me puerum epitaphio complexum fuisse eius laudem. Id subscripsi, ut legeres, meumque desiderium, quale iam tum fuerit, istorum hominum, quos audiebam poetas salutari, agnosceres.

Hac tumulatus humo Rufus [10]) post fata quiesco,
  Ardua qui clarum nomen ad astra tuli.
Prima mihi tenerae dedit incunabula vitae
  Hessia, fertilibus terra recincta [11]) iugis.
Cum mihi adhuc viridi vernaret flore iuventus,
  Nec tegeret flavas hispida barba genas,
Ingenuas colui Musis ducentibus artes,
  Deditus et studiis nocte dieque fui.
Hinc didici rerum varias cognoscere causas [12]),
  Quasque parit miras terra fretumque vices.
Interdum versus et blanda poemata finxi,
  Qualia Virgilium nemo probasse neget,
Cumque mihi vires provectior adderet aetas,
  Cura mihi leges noscere iuris erat.
Sed mihi cum Musis et caris vivere amicis
  Plus placuit, trepida quam fora lite sequi.
Omnia nam [13]) quoniam stulte transire videbam,
  Non sitii tituli nomina magna mei.
Aulas praecipue fugi, quia fulmen ab aulis
  Et fortuna piis saepe sinistra venit.
Aurea me blandi fovit clementia coeli,
  Qua iacet uberibus Gotha beata iugis.
Hic ego traduxi tranquillae tempora pacis,
  Hic mihi pax vere vita beata fuit.
Invida me donec caro mors abstulit aevo,
  Et mea sub viridi condidit ossa solo.
Quam bene nunc recubo florentibus obsitus herbis:
  Hoc mihi perpetui nominis omen erit.

laureae ramulos festinabunda manu decerpserunt. — 9) Iustin. I, 8. de Cyro: *non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu admirabiliter insignis.* — 10) Camerarius *Rufus*, Carpzovius *Ruffus* scripsit. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 12. not. 104. — 11) Vocabulum *recinctus*, quod Virg. Aen. IV, 518. Ovid. Met. I, 398. et alibi pro *discinctus*, et non nisi Valer. Flacc. VIII, 115. pro *succinctus* ponitur, a scriptoribus Latinis nusquam ita usurpatur, ut sit idem quod *circumdatus* sive *undique cinctus*. Propterea nostrae aetatis poetae Latini, quos *lauro recinctus* pro *lauro revinctus* sive *redimitus* scribere memini, laurea Apollinari non donandi videntur. — 12) Ex Virg. Georg. II, 490. *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.* — 13) Vid. quae ad Eobani Carm. de pugna studentum vs. 5. adnotavi.

Et quoniam haec scribo stans in procinctu, ad signum horae datum recta iturus ad auditorium meum, finem epistolae faciam. Scribam vero proxime copiosius, et mittam carmen de spiritu sancto. Optime vale in aeternum. Ienae, d. XIX. Septembr. anno CIↃIↃLI.

II.

IACOBI MICYLLI

EPICEDION

HELII EOBANI HESSI

POETAE.

Ergo in te saevae tantum potuere sorores,
O decus, o nostri dux Eobane chori?
Nec tua te virtus, neque tot texere Camenae,
Legitimum caderes quo minus ante diem?
Idque placet superis, quorum violenta potestas [1])
Iam prope praeclarum, quod fuit, omne tulit,
Dum praedam totus de nobis exigit annus,
Et spolium ex omni mors petit atra loco.
Plangite, Pierides, ereptum plangite vatem,
Et mecum vestri funera flete ducis.
Plangite, quae celsas colitis, regna Hessica, silvas,
Cattiades [2]) Nymphae, monticolaeque deae,
Quas circum Veraris fluit, et quas Aedera circum,
Et nova facturus flumina Fulda suo.
Plangite, et hoc veteri persolvite munus alumno,
Et tumulo flores et date serta novo [3]).
Non illo melior fuit, aut reverentior aequi,
Saecula quot retro multa tulere diu.
Nec vestros aeque quisquam celebravit honores,
Quicunque Aoniis fontibus ora rigant.
Et tu, Lane pater, pendente in pectore barba [4]),
Hessica qui longo limite rura secas,
Exue fronde comas [5]), viridantes exue amictus,
Et nova cultoris funera plange tui.

1) Vocabula *potentia* et *potestas* differunt. Hic *potentia* requiritur. Vid. Doederlini Synonym. Lat. Tom. V. p. 82. sqq. — 2) Micyllus scripsit *Catthiades*, quod Carpzovius in *Cattiades* mutavit. Ex sententia Passovii ad Tacit. Germ. cap. 29. hic *Chattiades* et infra vs. 51. *Chattides* scribendum foret. Haec tamen vocabula nusquam reperiuntur. — 3) Exspectes *recenti*, quod metrum respuit. Vid. Doederlini Synonym. Lat. Tom. IV. p. 95. sq. et quae infra ad vs. 319. adnotavi. — 4) Cf. Virg. Aen. X, 838. *fusus propexam in pectore barbam.* — 5) Sic Micyllus recte edidit. In Carpzovii edi-

Ulva tegat faciem, madidique uligine crines
    Maestitiam cultu deteriore notent.
Nec tibi nunc placeant tenero iuga consita Baccho,
    Aut virides ripae, laetaque culta satis.
Nec te detineant calidis vernantia lymphis
    Labra, quibus certa membra levantur [6]) ope,
Hic ubi vicinos iacet inter Amisia colles,
    Hessicaque occiduum distinet arva nemus.
Sed maestus sine honore means, sine numine, lento
    Ad dominum Rhenum gurgite perfer aquas.
Atque aliquis cernens defectam flumine ripam,
    Quis novus hic amnis squalor, et unde? roget.
Quis deus huic animum, quis cursus tantus ademit?
    Ut gressu solito languidiore venit?
At tu, sed modicae gemebundo murmure vocis,
    Ille meus, dicas, ille poeta iacet.
Mortuus ille iacet, cuius super aethera cantu
    Flumina cum Nymphis nota fuere meis,
Atque ita dilapsus tacito sub gurgite tecum
    Haec vatis defle tristia fata tui.
Nec te poeniteat tanti, pater optime, luctus,
    Aut haec non tali digna dolore putes.
Non magis Odrysias celebravit carmine silvas
    Orpheus, et ripas, Strymonis unda, tuas.

tione *Exue fronte comas* per typographi errorem legitur. Haec admonent loci Valer. Flacc. VI, 296. sq. *Populeus cui frondis honor, conspectaque glauco tempora nectuntur ramo*, quem ut sanum et integrum habeam, a me impetrare non possum. Illud quidem satis constat, *frondes* a Virgilio aliisque poetis silvarum arborumve *honorem* sive *honores*, id est *decus*, appellari. Virg. Georg. II, 404. *Frigidus et silvis aquilo decussit honorem*, Ovid. Met. I, 565. de Daphne in laurum mutata: *Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores*, Martial. IX, 62, 21. de platano Caesaris: *Perpetuos sperare licet tibi frondis honores*, et Lactant. de Phoenice vs. 10. *Lucus perpetuae frondis honore virens*, ubi haud dubie ex adscriptis Ovidii et Martialis, quos imitatus est, locis *perpetuo* reponendum. Quippe vocabulum *frondis* effecit, ut *perpetuo* in *perpetuae* sive *perpetuae* mutaretur. Sed ad Aquitem, Phasidis sacerdotem, qui, ut verbis Horat. Od. I, 7, 23. et Valer. Flacc. III, 436. utar, *tempora populea fertur cinxisse corona, glaucasque comis praetexere frondes* dicitur, nisi, ut Daphne in laurum, sic ipse in populum fuerit mutatus, verba: *Populeus cui frondis honor*, pro quibus, quum Ovidius Met. I, 449. recte scripserit: *aesculeae capiebat frondis honorem*, exspectes: *Populeae cui frondis honor*, referri non posse, ex iis, quos supra posui, locis facile intelligitur. Inita igitur subductaque ratione, quum vocabula *frontis* et *frondis* propter formae et soni similitudinem a librariis pariter ac typographis, quos et ipsos Valerii Flacci editoribus interdum fucum fecisse Weichertus ad Lib. VIII, 41. docuit, facile potuerint permutari, probabili admodum emendatione; *Populeus cui frontis honor, conspectaque glauco tempora nectuntur ramo*, ubi *populeus* recte ponitur, scribendum esse censeo. Aliter quidem, quum *honos* et *honores* a poetis in universum pro *decore* et *pulchritudine* ponantur, dixerunt Sil. Ital. IV, 755. *non frontis parcit honori*, et Stat. Silv. I, 2, 113. *celsae procul adspice frontis honores:* iuvabit tamen contulisse Horat. Od. I, 1, 29. *doctarum ederae praemia frontium.* — 6) Perperam Micyllus edidit *lavantur*, quod Carp-

Nec plus Virgilio [7]) debent tua flumina, Minci [8]),
Quamvis huic aetas non tulit ulla parem,
Flumina quam debent et Nymphae Cattides [9]) Hesso,
Et quantum Hessiaci restat [10]) ubique soli.
Ille tuas primus celebravit carmine gentes,
Ille dedit ripis nomina, Lane, tuis.
Nec notus Veraris fuerat neque Fulda futurus,
Flumina quae pariter iuncta Visurgis habet,
Nec quantum a Moeni distat vagus Adrana ripis,
Cognita cum populis pars foret ulla [11]) suis,
Si non hic patriae servasset nomina terrae,
Atque eadem illius carmine nota foret.
Praecipue sed enim tanto se iactat alumno,
Quae vetus a Franco vertice nomen habet,
Mons ubi Christiparae [12]) celeberrimus aede puellae,
Dum culta est nati mater honore, fuit.
Nunc melior postquam pietas caput extulit orbi,
Desertum tacitis Aedera lambit aquis.
Quas sedes olim Francos tenuisse colonos,
Deque suo nomen, fama, dedisse loco.
Hic ille in superas primum fuit editus auras,
Hic patria, hic illi tecta domusque fuit [13]).
Hinc puer egressus late virtutibus orbem
Et fama implevit nominis ipse sui.
Namque ut prima tibi repetam cunabula vitae,
Et versu peragam tempora tota brevi:
Ter quinque exierant post natum saecula Christum,
Sublatis annis sed quater inde tribus,
Cum satus ille novas partu processit in auras:
Lux fuit haec Nonis, Iane, dicata tuis [14]).
Non huic divitiae, non magnum nomen avorum,
Non domus antiquis fulsit imaginibus.
Qualia mirantur vulgo, qui facta parentum,
Quam sua laudari pulchrius esse putant.
Sed simul ac tenera matris progressus ab alvo,
Vagitus infans edidit ore novos.
Mox facilis prima fuit huic aetate Minerva,
Quae natum gremio sustulit ipsa suo.

zovius recte in *levantur* mutavit. — 7) Micyllus *Vergilio*, cui Carpzovius *Virgilio* recte substituit. — 8) Perperam Micyllus et Carpzovius *Minti* pro *Minci* ediderunt. — 9) Micyllus *Catthides*, Carpzovius *Cattides* scripsit. Vid. quae ad vs. 12. adnotavi. — 10) Verbum *restare*, quod *superesse* significat, ita poni non potest, ut reliqua Hassiae pars a Cattis distinguatur. Vid.. infra vs. 295. — 11) Micyllus *ulla*, quod restitui, Carpzovius, qui eadem vocabula in Camerarii Narrat. cap. 11. permutavit, temere magis quam consilio *illa* edidit. — 12) Eobanus, a quo Micyllus hunc versum mutuatus est, in carmine ad Posteritatem vs. 49. minus recte *Christiferae* posuit. — 13) Pro *fuerunt*. Similiter Virg. Aen. I, 16. sq. *hic illius arma, hic currus fuit*, pro quo Ovid. Fast. VI, 46. *cum mea sint illo currus et arma loco*. — 14) Vid.

Hinc puero ingenii vires animosque valentes
 Indidit, et pulchri fecit ut esset amans.
Ac velut uda [15]) solet formas, quascunque iubebis,
 Cera sequi, et faciem ferre subinde novam,
Sic dea crescentem cunctos mollivit in usus,
 Pectoraque ad studium quodlibet apta dedit.
Atque ita seu verbis gauderes lege solutis,
 Non facile in prosam largior ullus erat,
Seu malles numeris certis adstricta modisque,
 Pangebat spatio carmina mille brevi.
Quin etiam verbis mutabat Graeca Latinis,
 Vertebatque modis scripta vetusta novis.
Usque adeo partes pariter pollebat in omnes,
 Nil huic invictum, quod modo vellet, erat.
Quamvis ipse sacras solitus praeferre Camenas
 Ante omnes semper carmen amabat opes,
Carminibusque diem peragebat, carmine noctes,
 Nec semel et fessi somnia carmen erant [16]);
Sive aliqua ista fuit naturae causa latentis,
 Quae ceu iure suo mollia corda rapit,
Hasque ita nascenti vires infudit ab ortu,
 Quae nova cum niveo fulsit olore chelys [17]),
Seu vere deus est, quo vatum corda moventur,
 Atque iidem taciti numinis instar habent.
Certe non aliis studiis potioribus usus,
 Quaecunque huic esset sors obeunda, fuit.
His puer accrevit, medio his excelluit aevo,
 His etiam clausit fata suprema senex.
Ergo idem primis nuper digressus ab annis [18]),
 Tempora cum lustris conderet acta tribus,
Turpe ratus patrios nunquam liquisse penates,
 Contentumque uno consenuisse solo,
Partim etiam accensus famae potioris amore,
 Doctorumque volens ora subire virum,
Egressus patria Thuringam [19]) venit in urbem,
 Cui vada fecerunt nomen, Hiera, tua.
Nam fuit haec quondam sedes celeberrima Musis,
 Artibus et studiis nobilitata bonis,

ad Camerarii Narrat. cap. 5. not. 40. 41. et 42. — 15) Cur *cera* Micyllo *uda* dicatur, non assequor. Iuvabit autem comparasse versiculos Plin. Epp. VII, 9.

Ut laus est cerae, mollis cedensque sequatur
Si doctos digitos, iussaque fiat opus, —
Sic hominum ingenium flecti ducique per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

16) Micyllus edidit *erat*, pro quo *erant* reponendum esse, Carpzovius non vidit. De re ipsa vid. Camerarii Narrat. cap. 6. — 17) Cf. Eobani carmen, quod in Addit. V. subiecimus, vs. 21. sq. — 18) Vereor, ut hoc, quod vs. 273. recurrit, recte dicatur pro *ut primum ex pueris excessit*, ut Cicero Orat. pro Archia cap. 3. loquitur. — 19) Micyllus *Turingam*, Carpzovius *Thu-*

Cum nondum placidas premeret discordia divas,
    Aurea quae sanctae tempora pacis amant.
Hic operum specimen primum dedit ille suorum [20]),
    Hic sua cantari carmina seque tulit,
Dum sedet et gracili celebrat modulamine silvas,
    Pastorumque casas, amnicolasque deas;
Et prius ignotis componit nomina ripis,
    Sive tuis, Unster, seu, vage Nesse, tuis.
Ergo [21]) novo ornatus pridem cognomine vatis,
    Et fretus Musa carminibusque suis,
His quoque digressus, quas tunc celebraverat oras,
    Dissita [22]) longinquo venit in arva solo.
Terra iacet gemino procul hinc subiecta Trioni,
    Pigra gelu et cana tota perusta nive,
Hinc mare, quod Venedi saeclo coluere priore,
    Unde gerunt tenerae succina lecta nurus.
Illic externum secludit Martius hostem,
    Sanguine qui pastus Sarmata vivit equi [23]).
Ipsa vetus retinet generosa Borussia nomen,
    Teutonici quondam militis ense potens.
Huc illum evectum per milia multa viarum
    Seu fors, seu rerum certa cupido tulit.
Hic cum principibus crebra versatus in aula
    Et mores hominum vidit et ingenia.
Atque uti Neritius quondam iactatus Ulysses,
    Hinc circum terras, hinc freta longa maris,
Antiphatem et Ciconas [24]) vidit, saevumque Cyclopa,
    Lotophagumque dapes, Alcinoique nemus,
Sic ille in media variorum gente virorum
    Nunc bona, nunc aequo pertulit ore mala.
Sed neque tunc Musas posuit, curamve priorem,
    Aut studio versus languidiore dedit.
Nam partim alterno descripsit carmine sensus,
    Quos mandat divo diva puella viro,
Partim etiam silvis coepit mandare canoris
    Res, populos, urbes, funera, bella, viros.

ringam, quod praetuli. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 28. not. 273. — 20) Vid. Camerarii Narrat. cap. 7. ibique not. 59. — 21) Sic Eobanus quoque Addit. IX. vs. 47. scripsit: *Feceril ergo licet* etc. Ultimam vocabuli *ergo* syllabam poetae saeculi Augustei non corripiebant. Vid. Handii Tursellin. Vol. II. p. 466. — 22) Hoc vocabulo Eobanus quoque in carmine in Montem Annae, quod in Addit. XVIII. subiecimus, vs. 50. usus est. At solus Appuleius Florid. Tom. II. p. 4. ed. Altenburg. scripsit: *Homines vero neque longule dissita, neque proxime adsita possumus cernere.* Ex recentioribus usurpavit etiam Koenigius, praeceptor quondam meus et collega de me meisque rebus optime meritus, in egregio carmine: *Est locus haud longe Misnensi dissitus urbe* etc. quod in eius *Opusculis Latinis,* ab Oertelio, collega coniunctissimo, Misenae a. 1834. editis p. 445. sq. legitur. — 23) Sic Horat. Od. III, 4, 34. *laetum equino sanguine Concanum* appellat. Praeterea vid. Vossium ad Virg. Georg. III, 464. — 24)

Hic ubi vicino mergit se Vistula ponto,
Et secum raptas in mare vertit aquas.
Quanquam etiam nigri cantantem ripa Viadri
Audiit, et Suevi proxima terra soli,
Et quae Sarmatico paret Cracovia regi,
Urbs vetus, et veteri nobilitata schola.
Quae loca noscendi studio prius omnia vidit,
Quam vidit vitae bis duo lustra suae.
Hinc tandem patrias animum revocavit ad oras,
Et redit in terras, lenis Hiera, tuas.
Quasque novo quondam celebrabat carmine sedes,
Has iterum veteri captus amore petit.
Hic pretio et solita conductus lege docendi
Explicuit vates, rhetoras, historicos.
Ipsi ubi tum multa nos hunc gravitate legentem [25]
Vidimus, in magno pars quotacunque grege.
Ac minor huius erat non illo tempore fama,
Quam tua per Latias, Quintiliane, scholas.
Tam bona facundae manabat gratia linguae,
Tantus et in toto sederat ore decor.
Fors etiam vitam terra clausisset in ista,
Uno hanc si claudi fata tenore sinant.
Sed Fortuna, bonis quae rebus ubique repugnat,
Hunc quoque non uno passa vigere loco.
Namque ubi iam senior requiem finemque laborum
Sperat, et extrema litora puppe secat,
Sive hominum invidia, seu sorte trahente coactus,
Haec tum mutavit sedibus arva novis.
Norica qua Pyrgi iactat se nomine tellus,
Artibus et cultis inclita terra viris,
Huc illum ascivit sapiens cum plebe senatus,
Ut veheret [26] Musis haec quoque regna suis,
Esset et illius decus et nova gloria gentis,
Et regimen coeptae normaque certa scholae.
Nam fuit haec pulchris urbs semper dedita rebus,
Inventrix operum et laudis amore flagrans.
Et quaecunque aliquo virtutis nomine fulgent,
Haec illa ante alias ingeniosa colit.
Ergo iterum patria post tempora longa relicta,
Mutavit veterem conditione nova.

Micyllus perperam edidit *Cironas*, quod iam Carpzovius auctore Homero in *Ciconas* mutare debebat. — 25) Mallem scripsisset *docentem*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 288. — 26) Pro *eveheret*. Sic Plin. Epp. IV, 27. *me ipsum laudibus vexit*, ex vulgata scriptura, quam, quum Arnzenius *evexit* ei substituisset, defendit Cortius coll. Claudian. XXVI, 11. sq. *Quodsi ardua Tiphyn navis ob innocuae meritum sic gloria vexit*. Codici Mediceo aliisque a Cortio commemoratis accedit cod. Taurin. saec. XV. cuius excerpta penes me sunt. Vid. *Codices manuscripti bibliothecae regii Taurinensis Athenaei* etc. *Turini*, 1749.

Ac socios inter Ioachimum Graeca docentem,
Et te pars nostri, Micale [27]), magna chori,
Hic sibi tum laudis tantum famaeque paravit,
Quantum fas ulli conciliare viro.
Nam neque muneribus caruit, nec honoribus unquam,
Dignaque factorum praemia multa tulit.
Quanquam etiam ista sua turbavit commoda fraude,
Quae nihil integrum Noxa maligna sinit.
Et mox Thuringos [28]) iterum revocatus in agros,
Rebus ut auxilium ferret opemque malis,
Colligeretque diu passim et sine honore iacentes
Desertasque hominum fraude locique deas.
Ut bis ab externis fuit has accitus in oras,
Sic bis ad externas inde repulsus abit.
Fortunaeque fuit veluti pars ludicra quaedam,
Perque vices trepidae summa vel ima rotae.
Donec ad hanc veteris sortem respexit alumni
Ille tui princeps, Lane, Philippus agri,
Aerumnamque viri et sortem miseratus iniquam
Iussit ad antiquos hunc remeare lares.
Hic tandem reliquae transegit tempora vitae,
Cumque suis natis, coniuge cumque sua.
Hic idem Aonias patriam revocavit ad undas,
Adduxitque novas ex Helicone deas.
Cum quibus extremos aevum perduxit in annos,
Dum clausit summum meta peracta diem.
Sed fors privatos hominis quoque [29]) noscere mores
Quaeris, et ut vitam degerit ille suam.
Nam modo non paucos [30]) obscurat fama poetas,
Musa quibus facilis, vita nefanda fuit;
Quique suis recte cum possent dotibus uti,
Turpia carminibus praeposuere bonis.
Ut qui ferali Furiarum concitus oestro
Lemniadum aequavit nomine reque malum [31]),
Aut qui, Vangionum dum censet in urbe gregatos,
Stridenti miseras lancinat ore deas [32]).

Vol. II. p. 83. — 27) Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 21. not. 214. — 28) Micyllus *Turingos*, Carpzovius *Thuringos*, quod praetuli. Vid. quae ad vs. 121. adnotavi. — 29) In soluta oratione *privatos quoque hominis mores noscere* scribendum fuisset. Vid. vs. 279. et ad Camerarii Narrat. cap. 1. not. 4. — 30) Quum *modo non* coniungi et per *μονονουχὶ* sive *propemodum* explicari nequeant, *modo non paucos* pro *non paucos modo* positum videtur. — 31) Ad quem poetam hoc distichon pertineat, non habeo dicere. De *malo Lemniadum* vid. interpretes ad Liv. XXXIV, 2. ubi Cato: *Equidem*, inquit, *fabulam et fictam rem ducebam esse, virorum omne genus in aliqua insula coniuratione muliebri ab stirpe sublatum esse.* — Haec scripseram, quum Boettcherus doctissimus mihique amicissimus, sibi haec ad Sim. Lemnii, de quo Strobelii adnotationem ad Camerarii Narrat. de vita Phil. Melanchthonis cap. 54. p. 178. et Lessingii Opp. Vol. VII. p. 187. sqq. edit. Berolin. a. 1840. velim conferas, *Monachopornomachiam* referenda videri, per literas mihi si-

A quibus hic noster toto sic abfuit aevo,
Ut coelum extremo distat ab Oceano.
Nam neque luxuriam vitamve secutus inertem,
Nec ventri aut Veneri deditus ipse fuit.
Sed simul ac iustos aevi pervenit ad annos,
Iamque aetas illi facta virilis erat,
Consortem vitae legit sociamque laborum,
Ingenio, fama, nobilitate parem [33]).
Huic thalamo iunctus, taedaque fideque iugali,
Protulit in lucem pignora multa novam.
Quorum pars etiam vitali vescitur aura,
Atque tuos passim, Lane, pererrat agros,
Pars, ita propositum fatis repetentibus aevum,
Ante suum rapti morte obiere diem [34]).
Nec rursum invidiae stimulis agitatus et oestro
Effudit nigro carmina felle lita,
Aut studuit famae cuiusquam aspergere labem,
Verbaque latrantum fingere more canum.
Sed pariter vitae servans linguaeque pudorem,
Et praestare potens et retinere fidem,
Nec minus ingenio, quam puro candidus ore
Scripta dedit passim moribus aequa suis.
Nam partim cecinit laudum et virtutis amorem,
Quae pariant animis commoda multa piis.
Ut quae pastorum iuvenis cantavit avena,
Dum patriam atque artes evehit ore bonas.
Aut cum Silvarum celebravit nomine sparsim [35])
Cum populis urbes, regna ducesque suis.
Partim etiam versu mutavit Graeca Latino,
Et docuit Latias illa sonare togas [36]).
Hinc et Simichides Siculis transgressus ab arvis
Ausonia celebrat pascua voce sua.
Hinc et Pelides et Troiae eversor Ulysses
Verba facit populo sueta, Quirine, tuo.

gnificavit. — 32) Micyllus Emserum theologum carpere videtur. Cf. Camerarii Narrat. cap. 17. — 33) Brevius Sp. Ligustinus apud Liv. XLII, 34. *Quum primum in aetatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit*, ubi locutionem *in aetatem venire* Graecis *εἰς ἡλικίαν ἐλθεῖν* respondere, adnotavit Iacobsius ad Livii Lib. XXXIII. p. 406. ed. Goeller. — 34) Quae ad Camerarii Narrat. cap. 11. not. 95. de locutione *diem suum obire* dixi, ad hunc locum referri non posse, postea intellexi. Hic enim *ante*, id quod falso opinabar, non pro *antea* ponitur, sed Micyllus aliquot Eobani liberos, *propositum fatis repetentibus aevum*, immaturos obiisse significavit. Similiter idem non solum supra vs. 4. de Eobano: *Legitimum caderes quo minus ante diem*, sed etiam, quod rem conficit, Silvar. Lib. I. p. 72. de coniuge praematura morte exstincta: *Occidit ante suum funere mersa diem.* — 35) Adverbium *sparsim*, quod Micyllus, neglecta positione debili, usurpavit, non nisi Gell. XI, 2. et Appulei. Metamorph. X. Tom. I. p. 221. ed. Altenburg. reperitur. — 36) *Latias togas* pro *verbis Latinis* sive *lingua Latina* nemo facile dixe-

Praecipue accensis divorum pectora rebus,
Inclusit numeris sacra deumque novis.
Nam modo digressus primis cantavit ab annis [37],
Quae mittat sancto sancta legenda viro.
Mox etiam Solymi convertit cantica vatis,
Iussit et Ausonios illa referre modos.
Atque utinam poterat [38] producere longius annos,
Nec properent triplices fila secanda deae.
Iam quoque [39] digestos legeres in carmina fastos,
Et seriem sacrae totius historiae.
Nec plus Peligno laudis famaeque poetae
Pontificum parerent eruta festa libris,
Quam mihi tunc noster meruisset carmine vates,
Exposita tota cum pietate fide.
Sed fera quae rapiunt ipso bona cuncta sub ortu,
Invidere novis his quoque fata bonis.
Idque opus inceptum praeventus morte reliquit,
Dum velut e medio tramite raptus obit.
Quo te non debet tanti, pater optime, luctus,
Aut tanti vatis, Lane, pigere tui.
Sed velut hic alios supra caput extulit omnes,
Quicunque Aoniis ora rigantur aquis,
Sic decet hunc omnes lugere hominesque deosque,
Hessiaci quotquot nutrit arena soli.
Nam quid maius in hoc restat [40], quo vivimus, orbe,
Quidve aliud superis nos facit esse pares,
Gratia quam vatum, et praeconia docta sororum,
Concita quae vatum numine corda regunt?
Quis veterum nosset laudes et facta virorum?
Fortes Aeacidas, Neritiosque duces [41]?
Aut quis Scipiadas, aut quis te, maxime Caesar?
Teque tot invictum, magne Camille, malis?
Nomina si nulli servassent ista poetae,
Nec tantus sacri carminis esset honos?
Nulla foret laudum, virtutis nulla cupido,
Ni moveant vatum tot monumenta viros.
Illis debemus, quascunque accepimus artes,
Illis debemus sacra fidemque deum.
Adde quod his, tali superum qui mente reguntur,
Nec sceleri aut vitiis obvia corda patent.
Nullus avaritiae stimulus, non ullus amorum,
Excepto si quem foedera casta ligant.

rit. — 37) Vid. quae supra ad vs. 115. adnotavi. — 38) Immo *potuisset*, quod grammatica requirit, metrum respuit. — 39) In prosa oratione *Iam fastos quoque in carmina digestos legeres*, scribendum fuisset. Vid. quae supra ad vs. 227. adnotavi. — 40) Hoc verbum pro *exstat* sive *reperitur* positum videtur. Vid. quae supra ad vs. 52. adnotavi. — 41) Id est *duces Ulixi similes*. Vid. Ruddimanni Instit. Gramm. Lat. Part. I. p. 139. sq. Malim ta-

Sed sive in solis peragunt sua tempora silvis,
Pieriis inter flumina nota choris,
Sive etiam mediis regum versantur [42]) in aulis,
Carminis est illis unica cura sui.
Inde sacri vates et divum cura vocantur [43]),
Coelestumque sua numina voce canunt.
Et quisquam a lacrimis sibi temperet, aut tua fata
Aspiciat siccis, tante poeta, genis?
Nec, quod maesta solet mater viduata nepote,
Cum sedet ad tumulum crine soluta novum [44]),
Nos etiam duras leges, immitia fata,
Et grave Parcarum voce queramur opus?
Heu quantum amisit tecum tua patria nomen,
Heu quale et quantum Teutonis [45]) ora decus!
O miseros homines, o spes incerta laborum,
Quam cito, quod longo tempore crevit, abit!
Quae vero, superi, quae tandem damna paratis?
Artibus ecquis honos post super ullus erit?
Aut erit, ut merito quisquam aut virtute fruatur,
Quando bonos eadem fata malosque premunt.
Nam quis finis erit? vel quis numeraverit omnes,
Tempore quos aetas abstulit ista brevi?
Occidit omnigenae spes et decus artis Erasmus,
Saecula quo maius nostra tulere nihil.
Primus qui caeco Musas revocavit ab Orco,
Fregit et eloquio barbara regna suo.
Occidit et lingua pariter memorandus utraque,
Attica quam tellus, Itala quamque tulit,
Unica Sequanicae Budaeus gloria gentis,
Quam late Rhodanus cingit et arva Liger.
Occidit, Hesse, solo tecum prognatus eodem,
At procul hinc alio Cordus humatus agro;
Ambas qui studio coniunxit Apollinis artes,
Idem seu medicus, sive poeta bonus [46]).
Occidit Ursinus regum versatus in aulis,
Pannoniam rapidis qua secat Ister aquis,

men *Neritiumque ducem* scribere. Plures enim *Aeacidae* et *Scipiadae* erant. — 42) Micyllus edidit *versentur*, quod a Carpzovio servatum, quum vs. 313. *peragunt* praecedat, in *versantur* mutavi. — 43) Ex Ovid. Am. III, 9, 17. *At sacri vates et divum cura vocamur.* — 44) Hic quoque exspectes *recentem*, quod metrum respuit. Vid. quae supra ad vs. 16. adnotavi. *Crine soluta* pro *passis crinibus* insolentius dictum. — 45) Hoc vocabulum, quo Eobanus quoque Addit. III. vs. 46. et XIX. vs. 24. usus est, nusquam reperitur. — 46) Eandem duplicis doctrinae gloriam nostra aetate affectavit medicus nescio quis, in quem, quum se *utriusque mysten Apollinis* appellasset, haec per iocum lusimus:

Mysten qui gemini se iactat Apollinis, Anser
Versiculos naevis liberet ipse suos,
Quaeque aliis turpi sublegit carmina furto,
Debita Mulcibero protenus ipse secet.

Carmine qui variis rebus quaesivit honórem,
Atque idem Musas iunxit et historiam.
Occidit et noster notus bonitate Philippus,
Principis a veteri nomina monte gerens [47]),
Qui pariter Musis, pariter virtute decorus,
Summa fuit populi gloria, Moene, tui.
Ut memorem neque te, Vives, quem mille per artes
Externo cultum misit ab orbe Tagus.
Nec te, qui terris obiisti fata Cheruscis,
Heu procul a patria rapte Bolere tua;
Atque alios, quibus ampla suae stat grátia famae,
Sed fugiunt versus nomina longa breves [48]).
Et quasi poeniteat tantae fera numina cladis,
Sitque parum summos tot cecidisse viros;
Ecce eadem invisae mortis vis abstulit Hessum,
Hessum, cui tellus non tulit ista parem.
Qui pariter Graecas Musis sociando [49]) Latinis
Absolvit tota quicquid in arte fuit.
Atque aliquis speret melioris tempora mundi,
Quaeque futura, eadem prosperiora putet?
Heu mihi, quae rerum facies, quis nascitur ordo?
Qualia nos et quam barbara saecla manent?
Quae qui securo poterit contemnere vultu,
Idem etiam patriae funera laetus agat.
Nos certe, casus quisquis tua fata sequetur,
Plangimus heu mortem, care poeta, tuam.
Quaque licet lacrimis testamur et ore dolorem,
Saucia quem tanto vulnere corda gerunt.
Quem neque longa dies, qua cetera cuncta levantur,
Nec ratio a solito dimovet ulla statu.
Quamvis, si qua manent iustorum praemia Manes,
Et posita est meritis gratia certa suis,
Te quoque credibile est mistum felicibus umbris
Nec lacrimis nostris iam nec egere prece,
Sed liquidas inter mentes [50]), super aethera vectum,
Perpetua rerum prosperitate frui,
Et vel Iessaeis sociantem carmina nervis
Cantica coelesti psallere grata deo,

47) *Phil. Fürstenberger*, Graece et Latine doctissimus, qui Francofurti ad Moenum a. 1540. obiit. — 48) Similiter Horat. Sat. I, 5. 87. *Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est;* ad quem locum scholiastes ex Lucilii Sat. VII. affert: *Servorum est festus dies hic, quem plane hexametro versu non dicere possis.* Haec a soluta oratione non nisi numeris differunt. — 49) Gerundiorum ablativos recentiores demum poetae corripuerunt. Vid. quae ad Eobani Carm. in bonarum artium detractorem vs. 15. adnotavimus. — 50) Beatorum animas Micyllus parum apte *liquidas mentes* appellavit. Veteres *Manes* vocant. Propert. IV, 7, 1. *Sunt aliquid Manes: letum non omnia finit, luridaque evictos effugit umbra rogos.*

Aut castas inter divinae Heroidas aulae
Carpere cum sanctis gaudia laeta choris.
Quo quaecunque tuos retinent habitacula Manes,
Seu quascunque tenes, umbra beata, plagas,
Sis felix, nostrumque, precor, cape dexter honorem,
Quem tibi supremum maesta Thalia refert.

III.

EOBANUS POSTERITATI.

Quam legis [1]), Hessus amans quondam tibi diva reliquit,
Ipsa tuo ut legeres tempore, Posteritas.
Nam neque tunc fueras, cum scriberet ille, nec unquam
Speravit vultus posse videre tuos.
Quam sibi praesentem nemo conspexerit unquam,
Omnia quae sequeris [2]) ultima semper anus.
Quo magis appeteris, magis hoc fugis improba retro,
Ludis amatores, lubrica diva, tuos.
Atque ut semper abes praesens viventibus aevum,
Sic si respicias pristina, semper ades.
Sed neque praesentem nos te veneramur amantes,
Nescio qua potius laude futura places.
Nata diu vivis, quae nondum nata futura es,
Vatibus antiquis nata, futura mihi.
Nemo tuis potuit vivens amplexibus unquam,
Nemo tuo praesens captus amore frui.
Lubrica decedens, veniens simul atque resistens,
Non tua deprendi [3]) mira figura potest.
Non mihi te Coi manus ingeniosa magistri [4])
Pinxerit, aut Zeuxis [5]), Parrhasiusve senex [6]).
Non vidit plures fingentem Protea formas
Omnis [7]) in Oceano cognita turba mari.
Adde modo ut venias vultu non semper eodem,
Constes interdum nigra, aliquando nitens.
Saepe quidem multos, qui te impatienter amarunt,
Reiicis, et nulla laude superba iuvas.

1) Sic Ovid. Heroid. III, 1. *Quam legis, a rapta Briseide litera venit.* Eobanus tamen, cuius carmen Heroid. Lib. III. p. 249. sqq. legitur, omisit *epistolam*, ut Ovid. Heroid. I, 1. *Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe.* — 2) Raro syllaba brevis in caesura pentametri ponitur, ut Propert. II, 24, 4. *Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor.* — 3) In ed. Francof. perperam *deprehendi* legitur. Vid. Addit. XIX. vs. 29. ubi similiter peccatum est. — 4) Id est *Apellis*, qui Ovid. Epp. ex Pont. IV, 1, 29. *artifex Cous* appellatur. — 5) Eobanus falso *Zeusis* scripsit. — 6) Vid. Silligii *Catalogum artificum* p. 317. sq. ubi de incerta Parrhasii aetate agitur. — 7) Huius loci emen-

Contra etiam multos ita diligis optima mater,
Ut vita dignos perpete [8]) in astra leves.
Es [9]) tamen omnigenum iudex aequissima rerum,
Et iusta ex omni parte statera tua est.
Seu mihi dura igitur mater, seu blanda futura es,
Inter amatores fer, precor, esse tuos.
Ultima tu nostras Heroidas inter haberis,
Ultima nam [10]) cunctis rebus adesse soles.
Attamen, ut noris, primam te semper amavi,
O animae certe cura secunda meae.
Te prius ex animo finxi, quam discere possem,
Qua mihi praecipue parte sequenda fores.
Ingenium tibi paene puer iuvenile dicavi,
Esse tuae cupiens pars quota [11]) militiae.
Ergo utcunque leges [12]) olim mea carmina, quisquis
Venturae socius Posteritatis eris.
Quae mihi terra parens, quae nostrae stirpis origo,
Quae fuerint vitae tempora, nosse voles,
Qua videt undantem fluvio Germania Rhenum,
Et velut in centrum Teutonis [13]) ora coit,
Terra viris colitur, Cattos dixere vetusti,
Nunc aliud pugnax Hessia nomen habet.
Mons ibi Christiferae [14]) celeberrimus aede puellae,
Radices vitreis Aedera lambit aquis.
Parva quidem, nostris sed Francoberga Camenis
Obscuras inter non habitura locum,
Si modo tu fama vatem dignaberis ulla,
Posteritas, qui te tam reverenter amat.
Illic vitales primum decerpsimus auras [15]),
Nascenti primam praebuit illa diem.
Iam ter quinque ierant a nato saecula Christo,
Annos deme tamen cum tribus inde novem [16]).

dationem cum ceteris plerisque mihi praeripuit antiqua manus, quae pro *omnia*, quod ferri non posse apparet, *omnis* scribendum esse, in margine ed. Francof. a. 1549. recte adnotavit. — 8) Plautinum vocabulum pro *perpetua* positum. — 9) Hoc ex coniectura reposui pro *et*, quod per typothetae, ut videtur, errorem ab antiqua illa manu non correctum in ed. Francof. reperitur. — 10) Nihil cunctatus *non*, quod in ed. Francof. legitur, in *nam* mutavi, quod manus antiqua in margine ed. Francof. a. 1549. illi recte substituit. Sic Eobanus supra vs. 6. *Omnia quae sequeris ultima semper anus.* Praeterea vid. quae de particula *nam* post aliud vocabulum collocata ad Eobani Carm. de pugna studentum vs. 5. adnotavi. — 11) Hoc vocabulum, non nisi in interrogatione poni solitum, pro *quotacunque*, quod Tibull. II, 6, 54. et in Micylli Epiced. Eobani vs. 176. recte legitur, usurpari nequit. — 12) Recte manus antiqua in margine ed. Francof. a. 1549. vitiosum *legis*, quod nemo facile tuebitur, in *leges* mutavit. — 13) Vid. quae ad Micylli Epiced. Eobani vs. 326. adnotavi. — 14) Huic vocabulo Micyllus Epiced. Eobani vs. 63. substituit *Christiparae*, quod illi praestare videtur. Utrumque tamen recens confictum. — 15) Virgilius Aen. I, 387. sq. dixit *auras vitales carpere*, pro quo *decerpere* poni non potest. — 16) Vid. ad Camerarii

Quaque ego nascebar fulsit Lyra nocte, fuitque
Una ortus facies illius atque mei.
Non ego falsa loquor; vertentem consule mundum,
Sacra dies Iani regibus illa fuit.
Quae mihi signa domus, qui sint ne quaere parentes:
Pauper uterque fuit, sed sine labe parens.
Non genus aut proavos numero, non stemmata avorum,
Virtute o utinam nobilis esse ferar.
Prima quibus puero studiis accreverit aetas,
Nil moror, et certe nemo rogare volet.
Protinus hinc primis quantumque recordor ab annis,
Nescio quo vatum numine raptus eram.
Nondum cognoram nomen titulumve poetae,
Ipse mihi nondum, Tityre, notus eras.
Dixerat [17]) incauto si quis tamen ore *poeta*,
Protinus impatiens et sine mente [18]) fui.
Nectebam numeros ratus hos [19]) utcunque decere,
Lex mihi tum versus cognita nulla fuit.
Tam fuit ignotis fautrix natura poetis;
Da veniam, superis hi mihi maius erant [20]).
Vivere iam nullos, omnes vixisse putabam;
Tam [21]) puer et nondum forte decennis eram.
Namque fere nuper Germania nostra solebat
Non pueros studiis, sed dare paene viros.
Quippe magis bello atque armis intenta gerendis
Res tantum Latio protulit ore sacras.
Nunc vero Ausonias ita se convertit ad artes,
Ut Latio fuerit paene Latina magis.
Atque ut eo redeam, quo sum digressus [22]) ut autem
Nunc etiam vates vivere certus eram,
Sorduit humanas quicquid sibi subdere mentes,
Displicuit, posset quicquid amare puer.
Obtulit in triviis quendam Fortuna magistrum [23]),
Qui numeris certum diceret esse modum.
Hunc colui supplex, illi tantisper adhaesi,
Dum didici certis legibus ire pedes.

Narrat. cap. 5. not. 42. — 17) Sic pro *dixerit*, quod vulgo editur, scribendum esse, in margine ed. Francof. a. 1549. manus antiqua adnotavit. Et recte quidem. — 18) Hoc pro *mentis suae non compotem esse* poni non potest. Aliter Ovid. Met. XIII, 363. *Tu vires sine mente geris.* — 19) Huius versiculi lacunam manus antiqua, pronomine *hos* interposito, in margine ed. Francof. a. 1549. optime explevit. — 20) Pro vulgari *maiores erant.* Cic. Brut. cap. 52. *Vulgus interdum non probandum oratorem probat; sed probat sine comparatione: esse melius non sentit*, pro *esse meliorem non sentit.* — 21) Nihil temere mutaverim. Vide tamen, ne *tum* sit scribendum. — 22) Horat. Sat. I, 1, 108. *Illuc, unde abii, redeo*, quod ad prosae orationis simplicitatem proxime accedit. Sic Cic. de N. D. III, 23. *Sed eo iam, unde huc digressi sumus, revertamur.* — 23) Eobanus, nisi fallor, respexit Diogen. Laert. II, 48. ubi Socrates Xenophontem in angiportu quodam obvium habuisse sibique

Sponte sua influxit paucis mihi Musa diebus,
    Et mihi iam puero non leve nomen erat,
Ut non praecipuus dubitarit scribere vates[24]:
    „Hesse puer, sacri gloria fontis eris“.
Carmina cum primum populus mea lecta probaret,
    Clausa fere fuerant iam tria lustra mihi.
Illo me studiis Erphurdia magna fovebat
    Tempore, et ingenii publica signa dedit.
Et iam quarta meis accessit Olympias annis,
    Bucolicis lusit nostra iuventa modis.
Pluraque praeterea iuvenilia carmina lusi,
    Quae, quia sunt etiam publica, nosse potes.
Nunc mihi ab undecimo ter quintus vivitur annus,
    Aetatis non est plusve minusve meae.
Tempore, quo Caesar ter maximus Aemilianus[25])
    In Venetos duri fulmina Martis agit,
Scribimus illustres Heroidas ecce puellas,
    Has tibi praecipue dedico, Posteritas.
Accipe, diva senex, gremio tua pignora amico,
    Si potes, atque piae nomina matris habes.
Has partim absolvit sub iniquo Prussia coelo,
    Qua vagus admissas Vistula sorbet aquas,
Partim ubi flaventes niger Odera versat arenas,
    Absolvi vidit nobile gymnasium.
His mea Peligni mirari Musa poetae
    Ingenium potius quam sapere ausa fuit[26]).
Hactenus a studiis, si non vera omnia scribo,
    Ultima, qua fallam, causa sit ista precor.
Quos tulerit nostro Germania tempore vates,
    E multis aliquot dicere forte roges.
Quisquis es, Hutteni lectos percurre libellos,
    Quemque suo reddit nomine, quemque loco.
Inspice, Posteritas, Hutteni carmina vatis,
    Hunc recto poteris dicere iure tuum.
Hac igitur, forte[27]) atque alia ratione, poetae
    Nullius in nostro carmine nomen erit.
Nomina transierim vatum non digna malorum,
    Invidia dicar non caruisse malis.

discipulum adiunxisse narratur. De Iac. Horlaeo, Eobani magistro, vid. Camerarii Narrat. cap. 5. — 24) Mutianus Rufus, cuius versum, qui sequitur, Camerarius quoque Narrat. cap. 14. protulit. — 25) Id est *Maximilianus I.* Antiqua illa manus in margine ed. Francof. a. 1549. haec adiecit: *Bellum Venetum coepit anno Christi* 1508. *et duravit aliquot annis continuis. Vide Chron. Philip. in Vita Maximiliani.* Quod chronicon significetur, dicere non habeo. — 26) Ovidium igitur imitari maluit, quam aemulari Horatium, cuius verba: *Sapere aude*, quae Epp. I, 2, 40. leguntur, alumnis Afranis sunt notissima. Vid. Dilleri, collegae coniunctissimi, libellum: *Erinnerungen an G. E. Lessing, Zögling der Landesschule zu Meissen*, a. 1841. editum, p. 23. sq. — 27) Vocabulum *forte* pro *fortasse* minus recte positum. Vid. Krebsii Antibarb.

Vatibus addidero doctis mala nomina, forsan
Iudicium dicar non habuisse bonis.
Fortunae atque animi iam dudum munera nosti,
Naturae superest dona referre meae.
Corpus erat membrisque decens patiensque laborum,
Robore firma suo brachia, crura, latus.
Forma virum decuisse potest, sine labe decensque,
Frons diversa [28]), animi spiritus altus erat.
Hactenus haec iuvenem de se dixisse feretis,
O quibus aut lecta est, aut mea Musa placet.
Lusimus haec certe properanti carmina plectro,
Dum nimis ad metam noster anhelat equus [29]).
Parcite, si qua minus iustum referuntur ad unguem;
Haec sunt ingenii munera prima mei.
Tempora venturae tangam si forte senectae,
Plura quidem primis et meliora dabo.
Tum quoque [30]), Posteritas, tibi multa legenda relinquam;
Tanquam primitias suscipere ista velis.
Et me, si mereor, nec enim est attingere primos,
Postremos inter temporis huius habe.

IV.

Ludovicum Christianum, quem Erphordiae praeceptorem fuisse Eobani p. 12. indicat Camerarius, prima Ecloga seu Idyllio sub nomine *Melisaei*, quum se ipsum *Camillum* vocet, colloquentem introducit [1]), suum a patria discessum et adventum in academiam Erphordiensem describens. Idem Ecloga octava beatae Tranquillitatis laudes exposuit ad Conr. Mutianum Ruffum, qui studiosae tranquillitati [2]) et quieti se totum dederat, canonicus Gothanus, et supra fores aedium suarum hunc titulum fixerat: *Beata tranquillitas*, et paullo post in atrio [3]): *Bonis cuncta pateant.* Vide Camerar. p. 19.

V.

Eobanus cur sibi nomen *Helii* dederit et reliquis suis nominibus praeposuerit, causas exposuit in carmine, quod supra

p. 226. — 28) Quid *frons diversa* sibi velit, non intelligo. — 29) Ovid. Remed. Am. vs. 394. *Principio clivi vester anhelat equus.* — 30) Vocabulum *quoque* non suo loco positum. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 1. not. 4.

1) Immo *inducit.* — 2) Praestiterit *otio literato.* Cic. Tusc. V, 36. *quid est enim dulcius otio literato?* Ad quem locum Klotzius *otium literarium*, quod nunc vulgo usurpant, recte improbavit. Vid. Krebsii Antibarb. p. 293. — 3) Malim, verbis *paullo post* omissis, *et in atrio* scribere.

p. 12. indicatum [1]) hic exhibebimus, depromtum e Libro I. Silvarum edit. Halensis Suev. anni 1539. fol. 203. et edit. Francof. anni 1564. p. 373. seq.

AD AMICUM.

Helius unde meum veniat praenomen in usum,
Indicio quaeris certior esse meo.
Accipe, ne quicquam frustra petiisse queraris,
Disperceam, possum [2]) si qua negare tibi.
Helius Argivum, *Sol* est sermone Latino:
Helius est, quisquis numina Solis amat.
Quid mage conveniens vati, quam nomina Solis,
Quem vocat et sentit musica turba [3]) patrem?
Nomine maiestas Solis non finit [4]) in uno,
Conveniant [5]) uni nomina plura deo.
Quippe idem Sol, Mercurius, Mars, Liber, Apollo
Creditur, et signis pluribus esse liquet [6]).
Ille regit vates, divinum inspirat amorem,
Solis ab influxu [7]) spiritus iste venit.
Et nisi divini fallunt oracla Platonis [8]),
Esse nequit vates, quem fugit ille deus.
Quin etiam si nullus ero et sine numine vates,
Helius est certe qua ratione vocer.
Sol mihi nascenti primo praeluxit ab ortu,
Et quia [9]) prima mihi, Phoebi erat illa dies.
Grata deo Soli Lyra tunc fulgebat in astris,
Natali primum surgere visa meo.
Iam ter quinque ierant a nato saecula Christo,
Annos deme tamen cum tribus inde decem [10]).

1) Scribe *commemoratum*. — 2) Eobanus recte scripsit *possum*, non *possim*. Vid. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 9, 38. coll. 47, sq. — 3) Id est *poetarum chorus*. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 10. not. 88. — 4) *Finit* pro *finitur* Latini non dicunt. — 5) Rectius, nisi coniectura fallor, *conveniunt* scripseris. De re vid. Heindorf. ad Horat. Sat. II, 6, 20. — 6) Quid haec sibi velint, non perspicio. — 7) Cadentis Latinitatis vocabulum. Vid. Krebsii Antibarb. p. 265. — 8) Eobanus respexisse videtur Plat. Ion. p. 534. ed. Steph. sive p. 256. sq. ed. Turicens. ubi de poetis haec leguntur: *Διὰ ταῦτα δὲ ὁ θεὸς ἐξαιρούμενος τούτων τὸν νοῦν τούτοις χρῆται ὑπηρέταις καὶ τοῖς χρησμῳδοῖς καὶ τοῖς μάντεσι τοῖς θείοις, ἵνα ἡμεῖς οἱ ἀκούοντες εἰδῶμεν ὅτι οὐχ οὗτοί εἰσιν οἱ ταῦτα λέγοντες οὕτω πολλοῦ ἄξια, οἷς νοῦς μὴ πάρεστιν, ἀλλ' ὁ θεὸς αὐτός ἐστιν ὁ λέγων, διὰ τούτων δὲ φθέγγεται πρὸς ἡμᾶς.* His praemissis, Tynnichum Chalcidensem, poetam ineptissimum, pulcherrimum hymnum in Apollinem composuisse narrat. Tum pergit: *Ἐν τούτῳ γὰρ δὴ μάλιστά μοι δοκεῖ ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι ἡμῖν, ἵνα μὴ διστάζωμεν, ὅτι οὐκ ἀνθρώπινά ἐστι τὰ καλὰ ταῦτα ποιήματα οὐδὲ ἀνθρώπων, ἀλλὰ θεῖα καὶ θεῶν, οἱ δὲ ποιηταὶ οὐδὲν ἀλλ' ἢ ἑρμηνεῖς εἰσι τῶν θεῶν, κατεχόμενοι ἐξ ὅτου ἂν ἕκαστος κατέχηται.* — 9) Carpzovius *quia*, quod Eobanus recte posuit, temere in *quae* mutavit, horum verborum sententia non perspecta. Nam in fatis erat, ut Eobanus poeta die Solis nasceretur. — 10) Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 5. not. 40.

Non ego falsa loquor; vertentem consule mundum,
Sacra dies Iani regibus illa fuit.
Has tibi de multis placuit conscribere causas,
Quas veras certe nominis huius habes.
Quas ipsas aliquo tamen olim carmine dixi,
Cuius cum nequeas ultima, prima vides.
Haec siquidem superant, perierunt illa; quod olim
Sparserat incauta stulta iuventa manu.

VI.

Facere non potui, quin hic subiicerem Bernardi Monetae, poetae lepidissimi, carmen maxime iocosum in Eobanum Hessum paullo vinosiorem, quod legitur in libro ita inscripto: *Recentiores poetae Latini et Graeci selecti quinque, curis Iosephi Oliveti collecti ac editi. Lugd. Bat.* 1743. p. 310. sq.

HELIUS EOBANUS HESSUS.

Hessus, poeta notus ac potor valens,
Exibat alta nocte de gurgustio,
Ubi plusculum de more se invitaverat.
Praesto exeunti nulla fax, nullus puer,
Gressus heriles qui regat: domum tamen
Silente Luna pergit audaci pede.
Et iam propinquus ostio clavem serae
Parabat admovere, cum, vestigio
Fallente, nasum paene fregit ad fores.
Quid faceret? inclamaret? hora tardior [1])
Opem negabat. Quod potest, lectum petens
Vino dolorem sopiendum tradidit.
Ut nocte pulsa reddidit sensum dies,
Chirurgus accersitus e vicinia
Inducit aegro molle naso splenium,
Quo subsidere [2]) lividus sensim tumor,
Vulnusque coepit omne consanescere,
Nisi quod cicatrix mansit index vulneris.
At interim, vis mira consuetudinis!
Non parcius se flore patris Liberi [3])
Aspersit Hessus, quam solebat antea.
Quod cum notasset patruus, prudens senex,
Adortus hominem, quem monuerat saepius:

1) *Hora tardior* pro *serum diei* vel *serum noctis*, quae Liv. VII, 8. et XXXIII, 48. leguntur, quum *tardus* et *serus* significatione differant, Latinis non dicitur. — 2) Perperam *subsīdĕre* pro *subsĭdĕre* positum. — 3) Lucret. III, 222. *Bacchi cum flos evanuit*. Plaut. Curcul. I, 2, 1. *Flos veteris vini meis naribus obiectus est*.

Non ergo damno cautior fies tuo?
Inquit; simulque porrigens speculum adiicit:
Tuus videre se velis nasus rogat,
Vidensque dicas; Hanc merum fecit notam.
Respondit Hessus: Fecit; at, mi patrue,
Decet ab amicis aliquid interdum pati.

Ipse tamen Eobanus duo composuit carmina *in ebrietatem* et *de ebrietate*, Silvarum Lib. II. inclusa, quorum alterum p. 383. sqq. alterum p. 409. ed. Francof. legitur. Hoc, quum brevius sit altero et venustius, subiicere placuit.

DE EBRIETATE.

Auriculas asini Phrygio mens stulta tyranno,
Torva Iovi tauro cornua fecit amor.
In porcos Ithaci comites pecuina voluptas [1])
Exuit [2]), et balat rex maris inter oves [3]).
Decolor ira canem Cisseida fecit, Olympo
Invidiae labes [4]) Arcton utramque dedit.
Induit ora lupi ferus impietate Lycaon,
Cercopibus [5]) pretium simia perfidiae est.
Atque alias aliae pestes fecere figuras,
Singulaque artifices monstra habuere suos.
Has tamen una potest omnes effingere formas
Omnibus in vitium doctior Ebrietas.

VII.

Epistola ad Erasmum Roterodamum, cuius fit mentio p. 22. quam ex diversorio [1]), postquam Lovanium anno CIↃIↃXVIII. pervenisset [2]), ad ipsum misit Eobanus, exstat Lib. III. Silvarum fol. 233. edit. Halens. p. 432. seq. edit. Francof.

VIII.

Medicinae encomium, quod Erasmi oratione in versus translata Eobanum conscripsisse, Camerarius p. 25. annotat, legitur in Poemat. Eobani p. 811. seqq. edit. Francof. subiectum

1) Gellius XIX, 2. *belluinas* et *ferinas voluptates* dixit. — 2) Paullò insolentius dictum pro *humana specie exuta in porcos mutavit.* — 3) Ovid. Met. VI, 117. de Neptuno: *aries Bisaltida fallis.* — 4) Malim *tabes.* Ovid. Met. II, 807. sq. de Invidia: *lentaque miserrima tabe liquitur, ut glacies incerto saucia sole.* — 5) Antepenultimam huius nominis syllabam, quum Graece *Κέρκωπες* scribatur, Eobanus perperam corripuit. Vid. Ovid. Met. XIV, 92.

1) Scribe *deversorio* et vid. ad Camerarii Narrat. cap. 15. not. 134. — 2) Praestat *pervenit* vel *pervenerat.* Vid. Weissenborn. Gramm. Lat. p. 469. sq.

libello eleganti de bonae valetudinis conservandae rationibus, quas venustis versibus descripsit. — Vid. ad Kuinoelii Orat. cap. 6. not. 51.

IX.

Regem dictum fuisse inter sodales et amicos Eobanum, Capnione occasionem nominis huius praebente [1]), et de hac sua denominatione carmen ipsum composuisse, supra p. 25. indicavit Camerarius. Istud ex Poematibus eius, non adeo obviis amplius, huc apponemus, depromtum ex Silvarum Lib. II. fol. 221. edit. Halens. et p. 407. seqq. edit. Francof.

CUR VOCETUR REX.

Non ego crediderim citius prodisse poetam,
Quem sterilis raptum praedicat Ascra senem,
Quam mihi iam dudum Phoebeia signa ferenti
Venit adoptato nomine *Regis* honor.
Hoc tamen unde feram, qua manet origine nomen,
Stultum et ridiculum dicere paene fuit.
Scripsimus exiguo vulgata poemata versu,
Scripta notis populo Lipsia clara dedit.
Legerat haec gentis Reuchlinus fama Suevae [2]),
Et dixit: *Regis* nomen habere potes.
Inter enim quoscunque ferunt tua saecula vates,
Rex es, et est ratio nominis inde tui.
Nam Graii *Regem* dicunt *Hessena* poetae,
Esse ita te Regem, nomine reque doces.
Et velut exerces agnatum in carmina regnum [3]);
Recta stat in versu syllaba quaeque tuo.
Hoc scriptum excipiunt atque amplexantur amici,
Et *Regem* clamant omnibus esse locis.
Ipse ego, quandoquidem nec publica scripta negare,
Nec poteram caris obstruere ora viris,
Rex, inquam, *Rex* vester ero; quando ista necesse est
Tradita militiae nomina ferre meae.
Verum alios titulos, nec inepta insignia sumam,
Moria iam dudum cognita tota mihi est.

1) Huius nominis honorem praeter Capnionem sive Reuchlinum Lutherus quoque tribuit Eobano, ad quem ille de psalmorum conversione a. 1530. haec scripsit: *Nam poetae nolo ullo modo comparari, sicut nec debeo nec possum. Tu enim rex poetarum, et poeta regum seu rectius dicam, regius poeta et poeticus rex es, qui regium illum poetam sic pulchre refers in peregrina sibi lingua.* Vid. Epp. Eobani p. 269. ed. Marburg. — 2) Hunc versum ita refingere malim: *Legerat haec Suevae Reuchlinus gloria gentis.* Sic Ovid. Epp. ex Pont. II, 11, 28. *Maxima Fundani gloria, Rufe, soli.* — 3) Vereor, ut

Vidimus Utopiae latissima regna superbae,
Tecta Lucernarum [4]) sunt peragrata mihi.
Fortunata meo lustrata est insula cursu,
Dulcia ubi aeterno flumine mella fluunt.
Qua viret ambrosiae succus, qua rupibus altis
Nectara [5]) ut e coelo praecipitata cadunt.
Gentis Hyperboreae felicem vidimus oram,
Qua neque mors homines, nec mala fata premunt.
Qua stant perpetuam facientia stagna iuventam,
Qua licet in coelum scandere, quando libet.
Haec per et haec circum pulcherrima regna volentem
Moria me fida duxit amica manu.
Cumque peragrarim tot tantaque regna, licebit
Stultitiae titulos sumere iure mihi.
Musica [6]) legitimum sumant in carmina regnum,
Qui sunt Maeonidae Virgiliique super.
Quam mihi sint nullae scribenda in carmina vires,
Sentio, et ingenium metior inde meum.
Vos quia me Regem facitis, sinite esse tyrannum;
Stultitiae haud aliud me diadema movet.
Sic ego. Paruerant illi tam vera monenti,
Tradentes manibus regia sceptra meis.
Fecerit ergo [7]) licet Reuchlinia litera Regem,
Non tamen hoc tantum contulit imperium.
Plurima Capnioni subscribit turba. Quid inde?
Si rem complebunt nomina, *Caesar* ero.

X.

De Martini Lutheri adventu in urbem Erphordiam, quem p. 26. narrat Camerarius, quattuor venustissimas elegias scripsit Eobanus, quae in Poematibus eius leguntur p. 847. seqq. edit. Francof. fol. 117. seqq. edit. Halens. Quo loco etiam p. 866. et fol. 126. Invectiva in Hieronymum Emserum Lutheromastiga, ut Eobanus appellat, cuius meminit hoc loco Camerarius, exstat. — Quattuor illas elegias Casp. Frid. Lossius addidit libro ita inscripto: *Helius Eoban Hesse und seine Zeitgenossen. Gotha,* 1797. p. 263. sqq.

recte dicatur *agnatum regnum.* Forsitan praestiterit *cognatum.* — 4) Quae sint *tecta Lucernarum,* me ignorare fateor. — Haec scripseram, quum Boettcherus per literas me certiorem fecit, in Franc. Rabelais *Pantagruel* Lib. V. cap. 33. commemorari *Lychnobiens*, terrae *Lanternois* dictae incolas. — 5) Hanc huius vocabuli formam pluralem et Graeci et Latini ignorant. — 6) Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 10. not. 88. — 7) Vid. quae ad Micylli Epiced. Eobani vs. 133. adnotavi.

XI.

Norimbergam, quo anno CIↃIↃXXVI. accitum Eobanum Camerarius p. 32. memorat, prolixo [1]) carmine descripsit idem, secutus Conradum Celtem; multum lucis splendidissimae isti urbi adferens venusto istoc poemate, quod inter reliqua exstat p. 632. edit. Francof. Praestantes etiam in ea viros, Bilibaldum Pirckheimerum, Casparem Nuccelium, Hieronymum Ebnerum, Albertum Durerum, Michaelem Rotingum, Sebaldum Heidenum [2]), Gregorium Haloandrum, Hieronymum Baumgartnerum, et alios carminibus prosecutus est, quae inter reliqua conspiciuntur [3]). De laudibus Norimbergae legitur etiam eius Idyllium XVI. p. 86. edit. Francof. fol. 47. edit. Halens.

XII.

Theocriti Idyllia, quorum p. 32. fit mentio, eleganti Latino carmine exposita prodierunt anno CIↃIↃXXXI. Basileae, ex officina Andreae Cratandri, Hieronymo Ebnero senatori Norimbergensi dicata insigni elegia, quae in duabus Poematum ipsius farraginibus non exstat, et incipit:

Has tibi Trinacrio ductas e rure capellas
Mittimus, et Latia pascua versa manu. etc.

Nec prolixior [1]) ista elegia in iisdem comparet [2]), qua Caspari Scheto, erudito mercatori Antverpiano, paraphrasin Iliados Homericae carmine heroico scriptam, Marpurgi d. XV. Mart. anno CIↃIↃXL. nuncupavit [3]), quae incipit:

In varias quondam partes distractus Homerus,
Et lacer ingrato sparsus in orbe fuit. etc.

Ad quam Schetus respondit diffuso [4]) carmine, quod sub finem operis istius, Basileae apud Io. Oporinum anno CIↃIↃXLIX. excusi [5]), legitur:

Musae, quae liquidis transcenditis aera pennis,
O semper faciles in mea vota deae. etc.

XIII.

Ioachimo Camerario quintum Silvarum librum dedicavit Eobanus anno CIↃIↃXXXIII. cuius in Narratione hac p. 33. is mentionem facit.

1) Scribe *longo*. Vid ad Addit. I. not. 4. — 2) A Camerario Narrat. cap. 22. *Sebaldus Heidena* appellatur. — 3) Immo *reperiuntur* seu *leguntur*.

1) Scribe *longior*. Vid. ad Addit. I. not. 4. — 2) Praestat *reperitur*. — 3) Mallem scripsisset *dedicavit*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 170. — 4) Vocabulum *diffusus* Latini sic usurpare non solent. Scribe *longo* sive *longiore*. — 5) Praestat *expressi*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 209. et ad Camerarii Narrat. cap. 4. not. 30.

XIV.

Christianorum Fastorum conscribendorum institutum, quod auctore Philippo Melanchthone Eobanum suscepisse [1]), Camerarius p. 37. scribit, non persecutus est idem, certe non absolvit. De toto hoc inchoato opere, quod nec Stigelius pertexuit, reliqui sunt pauci hi versus, quos asservavit Camerarius in Lib. III. Epist. Hessi et aliorum fol. C. 1. a.

Sacra, dies, causas et signa volubilis anni,
  Quem Christo numerant tempora nostra, canam.
Tu mihi spirantem patrio de pectore flatum [2])
  Hacc tibi scripturo mittere, Christe, velis.
Qui mea si dulci dignetur pectora flamma
  Tangere, iam vero numine plenus ero.
Ardua iam sacro contingam sidera cantu,
  Iam mea coelesti carmina melle fluent.
Annue, summe, tuas conanti dicere laudes,
  O qui quicquid habes, trinus et unus habes.
Tota creatorem quem sentit et esse fatetur
  Machina [3]), et immensum totius orbis opus.

XV.

Psalmorum Davidicorum paraphrasin elegiacam, a Camerario p. 37. laudatam, Erphordiae anno CIƆIƆXXXIV. coepit [1]), sed Marpurgi anno CIƆIƆXXXVI. d. XIV. Decembris anno aetatis XLVII. finivit Eobanus, ut ipse indicat in prima huius libri editione, quae prodiit Marpurgi CIƆIƆXXXVII. pag. ult. [2]).

XVI.

Ludo latrunculorum delectatum fuisse Eobanum, narrat p. 38. Camerarius: isque Vidae descriptionem huius ludi scacchorum miserat ad Eobanum, pro qua ille hoc eidem reddidit carmen [1]):

1) Pro *institutum suscepisse*, quod a Latina consuetudine abhorret, malim *consilium cepisse*. — 2) Vocabulum *flatus* pro *afflatus divinus* poni nequit. Cic. Off. II, 6. et Liv. XLV, 8. *fortunae flatus* legitur. — 3) Latini *mundum* sive *universum* dicunt.

1) Ita Sil. Ital. XV, 418. *novam coepere mapalibus urbem*. Praestat tamen *incepit* sive *inchoavit*. — 2) Eobanum iam ante a. 1534. psalmos aliquot in Latinum convertisse, apparet ex Lutheri epistola a. 1530. scripta, cuius partem ad Addit. IX. not. 1. protuli.

1) Legitur Silvar. Lib. V. p. 505. sq. — 2) Eobanus imitatione expressit Lucan. I, 1. *Bella per Emathios plus quam civilia campos* etc.

Bella per instabilem plus quam socialia campum [2])
Quadamtenus perlegimus.
Bella quidem belle, quisquis fuit, ista peregit,
Nec Vida vidit improbe,
Quam deceant faciles etiam sua proelia Musas,
Divosque longe principes;
Arcitenens magno quae cum Iove tractet Apollo,
Tuque Argicida Mercuri.
Iamque nec ingenii, nec in istas temporis artes
Quondam locati poenitet.
Te quoque, cui Phoebus cedat sub talibus armis,
Non poenitere suspicor.
Quas tibi nunc tanto solvam pro munere grates,
Ioachime mi carissime?
Sed tamen eximio Bilibaldo plura fatemur
Debere nos huiusmodi
Pro merito; siquidem gratam dedit ille palaestram
Iam non latrocinantium
Magnorum superum, sed suaviter ista gerentum
Musis amica proelia.

XVII.

Carmen prolixius [1]), quo memoriam Eobani Io. Stigelium coluisse, Camerarius p. 39. innuere [2]) videtur, in voluminibus Poematum eius reperitur nullum, praeter hoc unicum breve Vol. III. Lib. III. fol. 100.

Helius e vivis Eobanus ut exiit Hessus,
Pierius siccis aruit amnis aquis.
Flumina fuderunt oculis manantia Musae,
Flevit et abiecta maestus Apollo lyra.
At deus hunc terris rapuit, coeloque locavit,
Cantet ut in Christi carmina blanda sinu.
Donec erunt Musae, dum volvet sidera coelum [3]),
Carmine victuro nobilis Hessus erit.

XVIII.

MONS ANNAE [1]).

Horrida retrogradi fervebant brachia Cancri,
Nec procul ignivomi stella Leonis erat.

1) Scribe *longius*. Vid. ad Addit. I. not. 4. — 2) Praestat *significare*. Vid. Krebsii Antibarb. p. 268. — 3) Virg. Aen. I, 608. *polus dum sidera pascet*. Tibull. I, 4, 66. *dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas*.

1) Hoc Eobani carmen primum est adiectum libello Rabensteinii opera Annabergae a. 1791. iterum edito atque ita inscripto: *Annaeberga, libri tres,*

Linquebam veteris celebratum flumen Hierae,
Maxima qua laetus moenia spectat ager.
Docte, tuum comitatus iter, sic ipse iubebas,
Georgi Sturtiadum gloria summa domus.
Nubiferos montes aequataque culmina coelo
Transieram celeri non bene vectus equo.
Per iuga, per scopulos, per saxa, per avia, silvas,
Nil nisi nos pennas non habuisse dolet [2]).
Iamque ter emensi sex milia venimus urbem [3]),
Cui pia dimidium nominis Anna dedit.
Est locus arenti circumsitus [4]), undique saxo,
Arduus ascensu, difficilisque situ.
Terrigenis passim regio fecunda metallis,
Hunc beat argenti plurima vena locum.
Hic ego dum stupeo pulcherrima moenia, nondum [5])
Visa satis, nova sint, anne vetusta, rogo.
Tum mihi Sturtiades: Nova sunt, quae moenia cernis,
Atque adeo vitae tempore nata meae [6]).
Hic ego: Dic tantam [7]) quis tam cito condidit urbem?
Quis deus hanc molem montibus imposuit?
Nunc ego crediderim magnorum facta Gigantum,
Non vanis aliquam rebus habere fidem.
Tunc ille: Hanc hominum non tam quis condidit urbem,
Quam sese manibus condidit ipsa suis.
Haec quoque miranti sic reddidit ille: Quid haeres?
Non est hic aliqua fabula cassa fide.
Cernis ut hi circum fumantia culmina montes
Egesta toties evacuentur humo.
Omnia sunt gravibus subtus loca plena metallis:
Divitis hic Pluti dixeris esse domum.
Ex his divitiis haec urbs est condita: natam
Si tamen hanc libeat dicere, iure licet.
Haec, inquam, fateor, quamvis sunt [8]) maxima: verum
Quis tantus terrae prodidit auctor opes?
Ille iterum: Nec [9]) plura loquar, nec temporis huius
Fert ratio, verbis omnia posse sequi [10]).

quibus continetur urbis Annaebergae in Misnia descriptio, ortus et positus, conscripti versibus a Michaele Barth, cive grato et amante patriae. Basileae, 1557. p. 110. sqq. hoc titulo praefixo: *Helii Eobani Hessi Elegia de Monte S. Annae*, deinde ab Eobano retractatum et Silvar. Lib. VIII. inde a p. 600. inclusum. — 2) Ed. Bas. *Multus erat pennas non habuisse dolor.* — 3) „Homerica ratione; *ἧκε πόλιν* et innumera, omisso *εἰς*.“ Heyn. ad Virg. Aen. I, 2. — 4) Paullo aliter Ammian. XXIII, 6. *circumsitos populos* dixit. Alibi hoc vocabulum frustra quaeras. — 5) Ed. Bas. *necdum.* — 6) Urbs Annaberga a. d. xi. Cal. Octobr. a. 1496. condi coepta est. — 7) In ed. Francof. *tantum* per typographi errorem legitur. — 8) Ed. Bas. *sint.* Vid. Krebsii Antibarb. p. 404. coll. Popponis libello *de Latinitate falso aut merito suspecta*, p. 15. — 9) Ed. Bas. *Quid.* — 10) Pro vulgari *persequi.* Sic etiam Senec. Suasor. 7. *in cuius laudes sequendas Cicerone laudatore opus*

Haec loca, quae magno nunc aspicis aemula coelo,
Non aliqua nuper culta fuere manu.
Hic stetit Hercyniae [11]) pars longe maxima silvae,
Lustra vagatrices [12]) hic habuere ferae.
Saepe per has rupes praedas venator agebat,
Silvicolasque alces silvicolasque boves.
Donec in haec casu perventum est commoda rerum:
Qui [13]) fuerit casus, dicere longa mora est.
Et tibi, cum melius nobis utrisque vacabit,
Haec si forte voles scribere, plura loquar.
Tu nunc aeriferas [14]) Ioachimica moenia valles,
Ditiaque haud longe dissita [15]) saxa petes,
Et mihi dilectos venerabere solus amicos,
Quandoquidem tecum non libet ire mihi.
Talia Sturtiades, et adhuc his [16]) plura ferebat,
Ipse tuli tacito talia verba sinu [17]):
Salve urbs, eximiae cognomine nobilis Annae,
Montibus his salve non habitura [18]) parem.
Atque ita digressus Ioachimica regna petebam:
Dii faciant, fato non renuente petam.

In ipso Monte, 1536 [19]).

VALLIS IOACHIMICA [1]).

Ante oculis non visa meis salve inclita vallis,
Quae patris a Mariae nomine nomen habes.
Salve iterum totum fama vulgata per orbem [2]),
Quae gremio largas ubere fundis opes.
Saepe salutatam cupii te, saepe volebam
Munera fortunae tanta videre tuae.
Tunc etiam, cum me Pegnesidos ora foveret
Urbis [3]), eram famae laetus honore tuae.
Nunc mihi te propter Thuringi ab litore Hierae
Trita bis undenis milibus ista via est.
Quos tamen hic venerer genios, quae numina? certum est
Plenum propitii numinis esse locum.
Frivola mentita est locupletem fabula Plutum
Multa beatrici [4]) munera ferre manu.

fuerit. — 11) In ed. Francof. *Herciniae* minus recte scriptum est. — 12) Neque *vagator*, neque *vagatrix* uspiam reperitur. — 13) Ed. Bas. *Quis.* — 14) Aliter Ovid. Fast. III, 740. *Aeriferae comitum concrepuere manus.* Praeter Ovidium nemo hoc vocabulum usurpavit. — 15) Hoc vocabulo Micyllus quoque usus est Epiced. Eobani vs. 136. ubi vide not. 22. — 16) Ed. Bas. *iis*, quod nullo pacto ferendum. — 17) Ed. Bas. *sono*, quod haud scio an illi sit praeferendum. — 18) In ed. Francof. *habiture* typographi culpa legitur. — 19) Hanc subscriptionem ex ed. Bas. addidi.

1) Hoc carmen in Eobani Silvar. Lib. VIII. p. 602. sq. reperitur. — 2) Virg. Aen. I, 457. *Bellaque iam fama totum vulgata per orbem.* — 3) Id est *Norimbergae*, quam interfluit *Pegnesus* in duas partes divisus. — 4) Hoc vo-

Desinite, o miseri, caeco dare numina divo,
Cuncta videns oculis haec loca numen habet.
Vallibus o salve felicior omnibus illo,
Quem colis et fasso fortiter ore doces.
Sic age perge alacris Christo duce, perge fateri,
Qua sine non alia est, quae sit habenda fides.
Has utinam grates potuissem montibus Annae
Dicere, laus illis plena futura fuit [5]).
Me quoque fer grata tibi carmina voce canentem,
Vallibus Idaeis vallis amabilior.
Et si scripta ferant alii meliora poetae,
Nec tantum sudet Pieris una tibi,
Me tamen haec humili fer ludicra dicere versu,
Quae cecini vero laudis amore tuae.
Sic tibi larga fluat melioris vena metalli,
Sic opibus cedant Lydia regna tuis.

XIX.

Quum in quadam ad Io. Matthesium scripta carmine epistola opera sua Eobanus recensuerit, ista autem inter Poemata eius non exstet, a Camerario in Lib. III. Epistolarum eiusdem fol. C. 7. b. sq. asservata, eam huc transferendam duximus.

EOBANUS HESSUS
IOANNI MATTHESIO,
LUDI RECTORI VALLIUM IOACHIMICARUM.

Docte rudes animos studiis formare Mathesi,
Addita amicitiae pars modo iusta meae,
Quod mea miraris ceu dignos scripta libellos,
Quos legat et merito vulgus honore colat,
Candor is est animi simplex tuus, aut ego fallor,
Aut hoc iudicium fallit ineptus amor.
Quos tamen ediderim vis certior esse libellos:
Accipe de multis nomina pauca brevi.
Bucolicis lusit numeris iuvenilior [1]) aetas,
Quos tamen haec auctos serior esse dedit.
Hinc facili sanctas Heroidas ore canentem
Vidit ab Arctoo Parrhasis ursa polo.
Has quoque sicut erant lacerae nec veste politae,
Indutas cultu iussimus ire novo.

cabulum nusquam reperitur. — 5) Vid. Christ. Frid. Wilischii *Incunabula Scholae Annaebergensis* p. 19. sq.

1) Rarior comparativi forma reperitur Ovid. Met. XIV, 639. ubi Silvanus *suis semper iuvenilior annis* dicitur. — 2) Vocabulum *quoque* non suo loco

Quid loquar, ut medicas mea Musa sit ausa per artes
Ire, nec audaces abstinuisse manus?
Scripta quod eximiis epicedia Manibus exstant,
Pondera mensurae iusta libellus habet.
Ut taceam, quae Graeca dedi sermone Latino,
Nos Latio Siculum pavimus orbe pecus.
Non nihil immensus nobis quoque [2]) debet Homerus,
Debebit totum, si mea fata ferant.
Bis tria nuper erant vulgata volumina, Silvae,
Quas miro assensu Teutonis [3]) ora probat.
Si quis in hos montes miretur quod nihil horum
Venerit, haec causa est et manifesta satis.
Divitiae hic Pluti, non carmina nostra, leguntur,
Hic sonat argenti, musica vena [4]) tacet.
Plurima praeterea numero comprendere [5]) non est,
Quae variis cecinit nostra Thalia modis.
En tibi, digne cani versu meliore Mathési,
Indice pro longo tam breve carmen habes.
Vive memor nostri, quótiesque libebit ad Hessum
Scribere, fac libeat scribere multa. Vale.

Erphordiae, d. IX. Iulii anno Christi CIↃIↃXXXVI.

XX.

In Operum Eobani anno CIↃIↃXLIX. Francofurti editorum exemplari, quod in bibliotheca Regia Dresdensi asservatur, scidae libri titulo praepositae manu perquam antiqua inscriptum legitur hoc Theodori Bezae carmen.

BEZA HESSI MEMORIAE.

Nuper Lethaeas Eobanum venerat Hessum
Transvecturus aquas portitor ille Charon,
Multa minans, Siculi calamos impune poetae
Maeonidaeque [1]) auso surripuisse tubam.
Quin étiam media vates iam puppe sedebat,
Quum prohibens nautam pergere Mercurius:

positum. In soluta oratione *Homerus quoque nobis debet*, scribendum erat. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 1. not. 4. — 3) Hoc vocabulo Eobanus etiam Addit. III. vs. 46. et Micyllus Epiced. Eobani vs. 326. usi sunt. — 4) Id est *vena poetica*, quam vocant. Vid. ad Camerarii Narrat. cap. 10. not. 88. Horatius Od. II, 18, 10. *benignam ingenii venam*, et Epist. ad Pis. vs. 409. *divitem venam* dixit. — 5) Camerárius perperam edidit *comprehendere*, cui Carpzovius *comprendere* recte substituit. Vid. Addit. III. vs. 18. ubi similiter peccatum est.

1) Sic scripsi pro *Moeonidaeque*, quod perperam legitur in autographo. — 2) Vid. quae supra ad Eobani Carm. in bonarum artium detractorem vs. 5.

Ne saevito [2]), senex, inquit; sibi vindicat istum,
Istum, inquam, superum turba beata sibi.
Nam qui aliis vitam potuit producere, certe
Infera iuris in hunc obtinet aura [3]) nihil.

Idem tamen carmen in editione principe sic inscripta: *Theodori Bezae Vezelii Poemata iuvenilia. Lutetiae*, CIↃIↃXLVIII. p. 45. exhibetur hunc in modum:

Venerat exutus mortali corpore nuper
Hessus, ut infernis exciperetur aquis.
Quem torve intuitus squalentis portitor Orci,
Hic, ait, hic gratus Manibus hospes erit.
Tune Syracusii calamos impune poetae,
Maeonidaeque tubam, pessime, surpueris [4])?
Dixerat, et media vates iam puppe sedebat,
Quum vetuit nautam pergere Mercurius.
Ne saevito, senex, inquit; sibi vindicat istum
Iuppiter [5]) et superum caetera turba sibi.
Exstinctis aliis potuit qui reddere vitam,
Ditis in hunc possunt iura severa nihil.

Atque sic etiam in editione secunda, ab ipso auctore recognita, quae Lutetiae a. CIↃIↃLXIX. prodiit, p. 85. hoc carmen legitur, nisi quod distichon penultimum, quum a *vendicat* pro *vindicat* posito discesseris, ita scriptum est, ut supra ex antiqua illa scidula edidimus. Quae quomodo inter se possint conciliari, alii viderint a supellectile literaria instructiores.

adnotavi. — 3) Non ignoro, Virg. Georg. IV, 486. *superas ad auras*, Ovid. Met. X, 11. *ad superas auras*, et Cic. Arat. vs. 86. *Aquilonis ad auras* dixisse. Sed omnes numero plurali. Vide igitur, ne Beza scripserit *aula*. Propert. IV, 11, 5. Pluto *fuscae deus aulae* appellatur, et notus ex Horat. Od. III, 11, 16. sq. *ianitor aulae, Cerberus*. — 4) Pro *surripueris*. Sic *surpuit* apud Plautum aliquoties, et *surpuerat* Horat. Od. IV, 13, 20. legitur. — 5) De huius nominis scriptura vid. Schneideri Gramm. Lat. Vol. I. Part. II. p. 426.

Ne haec quoque pagella vacaret, Eobani carmen a Camerario Narrat. cap. 24. commemoratum, quo fontis prope Norimbergam scaturientis amoenitatem in *Noriberga illustrata* celebravit, ex illius *Operum farraginibus duabus* p. 662. sq. hic subiungere placuit.

FONS AD LAPICIDINAS.

Praeterea arboribus locus est et amoenus et umbris
Frigidus, et iuxta fons in convalle propinqua
Abiete sub nigra manat gelidissimus unda,
Inclusus secto lapidi [1]), sitientibus olim
Dulce refrigerium [2]): non illum Solis iniqui
Contingunt radii, non densum [3]) frigus adurit,
Tam rami nemoris semper frondentis inumbrant,
Et munit natura loci; nam pressus in ima
Valle coartatur lapidum munimine pulchro,
Ut si forte sitim sis exstincturus, ad ipsum
Descendisse tibi sit per bis terna necesse
Limina iunctorum graduum: nec prodiga tantum
Praebet adhaerenti latomorum [4]) pocula turbae,
Verum etiam urbanae saepe oblectamina plebi,
Matronis, senibus, pueris nuribusque puellis [5])
Exhibet: huc etenim, dum formosissimus annus
Permittit, veniunt, et vina liquentia secum,
Vina cibosque ferunt, et grati fontis ad undam
Silvestri celebrant convivia laeta sub umbra.
Ipse ego, nam memini, lustro iam rite peracto,
Ad fontem salientis aquae cum saepe venirem,
Tam sum conveniente loci dulcedine captus
Illius [6]), ut cuperem tentoria figere, et illic
Exigere hoc reliquum, Musis praesentibus, aevi.
Et locus est Musis certe sic commodus ipsis,
Ut si forte velint nostras habitare per oras,
Non alium legisse locum, nec quaerere vellent,
Non alios fontes. Sed enim quia fonte sub isto
Saepe Venus latuit, levis et sua tela Cupido
Torsit ab his latebris per inertia pectora amantum,
Diffugere deae, non tam loca pulchra perosae,
Quam non esse loco sua commoda, qualia vellent,
Qualia vel deceant Heliconia templa colentes.

1) Pro *lapide*, ut Lucret. I, 883. — 2) Hoc vocabulum apud Oros. V, 15. aliosque scriptores recentiores legitur. — 3) Malim *durum*. Aquilo tamen Virg. Georg. III, 196. *densus* dicitur. — 4) Antepenultimam Graeci vocabuli λατόμος syllabam Eobanus minus recte corripuit. — 5) Praestiterit *tenerisque puellis*. — 6) Melius abesset.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

B.

C.

ADDENDA ET CORRIGENDA

IN ADNOTATIONIBUS GRAMMATICIS.

P. 10. l. 6. post *Nonis Ianuariis* add. „pro *Non. Ianuarii*“ — p. 12. l. 5. cum not. 59. conferas velim not. 23. ad Kuinoelii Orat. cap. 3. — ibid. l. 10. pro *vogtländischen*, quod Erhardus posuit, scr. *voigtländischen* — p. 16. l. 2. pro „Addit. V. vs. 5.“ scr. „Addit. V. vs. 8.“ — ibid. l. 3. pro „Addit. XVIII. vs. 28.“ scr. „Addit. XIX. vs. 28.“ — p. 17. l. 5. del. „cum Micyllo Epiced. Eobani vs. 250.“ et vid. quae ad h. l. adnotavi. — p. 19. l. 1. verbis Camerarii: *animi ac corporis donis*, add. notam: „Praestiterit *dotibus*, quamquam et hoc, quippe poeticum, improbavit Krebsius Antibarb. p. 188. Vellei. Pat. I, 12. *omnibus belli ac togae dotibus.*“ — p. 27. l. 15. verbis Camerarii: *cui Musae Eobanus cognomen fecit*, add. notam: „Notus est Antonius Musa, Augusti medicus, frigida aegrotis fomenta adhibere solitus. Vid. Horat. Epp. I, 15, 3. et quae Schmidius ad h. l. adnotavit.“ — p. 31. l. 3. post *tum in patria maxima est*, add. „Iam video, structuram verborum Camerarii, quum praecedat: *ut non praetereatur silentio id*, aliter expediri posse.“ — p. 34. l. 13—16. ut orationis ambiguitas tollatur, scr. „quod a Carpzovio in *Pamgertnerus*, quam huius nominis formam ipse Camerarius Narrat. de vita Phil. Melanchthonis cap. 60. praetulit, et a Kuinoelio Orat. cap. 12. in *Paumgartnerus* mutatum est.“ — p. 44. l. 5. vocabulo *φθινώδεσιν*, quod in Camerarii carmine vs. 7. legitur, add. notam: „Particula *τε* ante literas *φθ* insolentius corripitur.“ — p. 51. l. 1. post „Krebsii Antibarb. p. 484.“ add. „Pro *tum temporis* Cicero in Cat. I, 4. pro Mil. cap. 10. et 20. et Epp. ad Att. XIII, 33. *id temporis* posuit.“ — p. 63. l. 3. vocabulo *canis* add. notam: „Pro *canis*, quod in archetypo legitur, scribe *Canis*.“ — p. 65. l. 17. post *catervas* pone minorem interpunctionem et add. „vel *stimulata* ex Sil. Ital. I, 32. sq. ubi Iuno *bellandi corda furore Phoenicum exstimulat.*“ — p. 69. l. 4. vocabulo *invectivum*, quod in carminis titulo legitur, add. notam: „Recentissimum hoc vocabulum, quo *carmen probrosum* significatur, merito improbavit Krebsius Antibarb. p. 276. sq.“ — p. 77. l. 6. post „vs. 295.“ add. „ubi legitur pro *exstare*, quod ab hoc quoque loco non alienum esse videtur.“ — p. 82. l. 15. nomini *Ulysses* add. notam: „Rectius scripsisset *Ulixes*. Vid. Lindemann. ad *Vitas Duumvirorum* etc. p. 149.“